

fit intervallo, censuram exercens, sed illos in commune fugillans Lutheranorum incautos hostes, & adversarios, qui statim atque de humane naturæ imbecillitate, de arbitrii aegritudine, de gratia, de fide, qua erga Christum affici debemus, verba apud populum feri, audiunt, Lutheranorum doctrinam esse, clamant: & cum pertinaciter arbitrii libertatem asserere, volumus, hominem paulatim extollunt, Divinam Gratiam deprimunt, ipsi ex Catholicis Pelagianos sese faciunt, &c. Tu nihil hæc ad Molinam spectare dicis, in cuius libris ne apicem quidem occurrere, ais, qui impedimento sit, quominus hic auctor Contareni verba velit esse sua. At multum hæc, pace tua, ad Molinam pertinet, censuit Auxiliorum Congregatio, quem, ut incautam hæreses Lutherane impugnaret, in extremum Pelagianorum errorem delapsus, tot instructis Censuris inussit. Vide tamen, ne Molinæ tui causam prodas verius, quam promoveas, dum Contarenum ab eius partibus stare, producta ex eius libro proluxa lacinia, probare contendis. Duo quippe laudato a te loco habet Eminentissimus Scriptor: 1. Ex certa, atque constanti Augustini mente liquere, ait, gratias non omnibus promissæ conferri, sed iis bene multos in Originalis peccati penam ex Dei iustitia desituri: hominumque aliquos, ante bonorum, malorumve operum prævisionem, ad gratiam, regnumque prædestinari; ceteros ob originis vitium reprobari. 2. Sux, ut loquitur, ignorantia specimen præbet Contareni, hanque sibi Augustini sententiam omnino non placere, profitetur. Porro quo ex tempore Augustinum, orthodoxæ de Divina Gratia doctrinæ normam Ecclesia dedit, ad quam saniores hoc de argumento sententiæ exigi debeant; quæ Molinæ obfuisse censendus est Contareni, dum ejus placitis adversum factus est Augustinum; quam eidem suppetias tulerit, dum se ab Augustino factus est alienum. Multum enim, quid in his Augustinus fenserit, scire juvat; parum, aut ferre nihil, quod contra Augustinum fenserit Contareni.

Claudit agmen Berullius Cardinalis, a quo te expeditum putas, si nihil eorum a te inventum dicas, quæ ex ejus Epistola 165. recitavi. Quid tu nugari excusatione, Typographici erroris obtentu, difficultatem declinas? Aut quæ primitibi, potissimaque objecta sunt, cur tacitus mittis, ut minutias confederis? Lege, castigato typorum errore, Epistolam 57. cujus hæc ipsa Gallica verba sunt: *L'existence, & non seulement la subsistence Divine est attribuée à l'humanité, en l'Ecole de S. Thomas; laquelle nous suivons en cela, & en la matière de la Grace, & en tout le reste, le plus que nous pouvons.* Ac tunc vere experieris, an Berullii suffragium temere advocarim. Guillelmi Gibiuffi de viro pietate, & eruditione Eminentissimo, cui in paucis charus fuerat, citatum a me testimonium dilue, si potis es, ac tum demum extricatum te nodo gloriari poteris.

CAPUT VI.

De Bellarmino, ejusque Controversiis, per Germanos Editores adulteratis.

Bellarminum, nondum Romæ mota de Divinis Auxiliis celeberrima Controversia, Molinæ contraria tradidisse, non laudata duntaxat a me loca (1) diserte probant, sed ipsi vel maxime delegati ab Apostolica Sede Cognitores exploratum habere; qui Censuras suas numero vigin-

ti in totidem Molinæ paradoxa, tertio præferunt, & quarto litis hujus examine meditata, advocato Bellarmini suffragio, productisque sententiis, confirmarunt. Quapropter, ne cui mirum videri posset, eorum demum in tota causæ hujusce tractatione, Romæ facta, cui se Societas implicuerat, Molinæ faverit; qui contraria, libris editis, propugnauerat; occurri, productis domesticis legibus, quibus præcipitur singulis, ut in opinionum delectu, communi Societatis judicio pareant. Ad didi voti simplicis, a Jesuitis emitti soliti, religionem, quo ad Ecclesiasticas dignitates assumpti, Præpositi Generalis monita sequi tenerunt.

Hæc, a me bono animo, ac simpliciter dicta, ut solito veneno infectas, his verbis exaggeras, quæ incautos letores exulcerent? *At Historicus, id Bellarminum fecisse, non serio quidem, & ex animi sententia, sed fide, ac simulate, hypocritarum more; additque, quod insolentius est, ad hanc simulationem, vi Constitutionum Societatis, voti religionem compulsum.* Parco ferocienti: Die tamen, mortalium modestissime, ubinam hæc mihi verba, livoris, atque invidiæ plena, exciderunt? Ubinam Bellarminum fictum, simulatum, hypocritam dixi? Redde verba mea; & evanescet calumnia tua. Id unum, ut maxime, obiter observavi, *Illam, professionis suæ memorem, Societatis, Molinianæ opinionis communi studio vindicantis, judicium, propria sententia, in exteriori saltem causæ tractatione, prætulisse;* quod si fictionem, atque hypocritam interpretari, modo lubet; quid restat, nisi ut fictos, simulatos, hypocritas dicas, quotquot pro sua in spectatissimos quoque Ordines reverentia communem totius cœtus sententiam, atque judicium privatis opinionibus anteponunt? Quid superest, nisi ut Gregorium de Valentia in hypocritarum ordinem cogas, qui pro Molinæ in Romanis Congressibus dicere iustus, alienum se ab ejus sententia factus est sæpe numero; seque tamen pro imposta persona aleam subiturum, ut probabilem saltem Clientis opinionem ostenderet?

Has ego, de subeundo, in opinionibus deligendis, communi Societatis judicio, leges, & intincta, tantum abest, ut auctori censura perstringerem, qua parte ad franandam ingeniorum audaciam, fovendamque doctrinæ confessionem, conducere possunt, ut potius probem maxime. Nec erat, cur tam amara declamatione nobis ostenderes, nihil sanctius decerni, atque sanciri potuisse, quam ne novæ in Societatem opiniones admitterentur. Quis id neget? Immo quis non optet religiosius observari? Verum id obiter tantum innui, non desuturos, qui partem sancitæ legis alteram immutatam aliquantum optarent, qua decretum est, ut, si quis aliquid sentiret, quod discreparet ab eo, quod Ecclesia, & ejus Doctores communiter sentiunt, suum sensum ipsius Societatis definitionem debeat subijcere: quique Ecclesiæ definitioni potius, quam Societatis standum; existimarent. Hanc porro animadversionem meam quicquid audacis censura loco habet, audacissimus ipse censor est, qui Ecclesiæ judicium Societatis consultationi anteponi, moleste ferat; immo qui nefciat, sacrorum dogmatum definitionem ad solam Ecclesiam, si summo jure loqui volumus, pertinere.

Nec tui melior verborum meorum interpres, quam censor, dum, quod de simplici Bellarmini voto obiter dixi, pari fidentia cavillaris. Equo, quæso, verbo significavi, vestros, si forte ad Ecclesiasticas dignitates evehi contingat, teneri ex simplici voto ad sequenda simpliciter, & absolute Præpositi Generalis consilia? Id a te mihi liberaliter

liter affectum est. Neque enim ignotum mihi, ad illos ex voto duntaxat, adstringi, (1) si fenserit melius esse, quod a Præposito Generali, ejusque legato, consuleret. Sed cum præcepta a consiliis eo maxime capite distinguantur, quod illa per se obligent, ac cacam a subditis obedientiam extorqueant; ista, utpote per se libera, nunquam, nisi ante probata, executioni demandentur; rem ipsam satis intellectum iri, existimavi, si vel nude dicerem, teneri illos ex simplici voto, Præpositi Generalis consilia sequi; nempe, ut satis quisquis intelligit, pro conditione consiliorum, si utique meliora probentur. Alias non jam consilia, sed præcepta dicenda forent.

An igitur, inquis, Bellarminus, spectata pietate vir, Molinæ defensionem voti etiam religione suscepturus erat, si eum a vero tam enormiter aberrasse, credidisset? Aut Præpositi Generalis de impendendo periclitanti Societati patrocinio consilium, uti melius, probaturus erat, si susceptam Molinianæ doctrinæ causam, inquis titulis fultam, existimasset? Abst. At potuit, professionis suæ memor, privatum, ut aliqui putant, de Molinæ doctrina sensum exere, communemque Societatis sententiam præjudicatis opinionibus antepone: aut certe, quod opinari fatius est, ita Molinam in errorem prolapsam credere potuit Bellarminus, ut ceteros tamen, Molinæ erroris purum existimantes, probabilibus quoque momentis nixos existimaret, ne ad ejus damnationis sententiam veniretur.

Parco de Bellarmini sententia circa gratiam efficacem, & gratuitam Prædestinationem, prolixius disputare; non modo quod me in salebrosas dogmatum questionem non ingressurum, solisque facti controversiis, in quibus Historiam meam vellicare libuit, hæsurum, ab exordio pollicitus sum; verum etiam, quod loca Bellarmini potissima, queis illum in gratiam se ipsa efficacem declamasse contendis, mala germanorum Editorum fide libris ejus primum inserta, at tum, illo jubente, rescissa demonstraverim Lib. 2. cap. 1. varioque Molinæ textus, queis insigniter abuteris, ut patia illum cum Bellarmino de gratuita ad gratiam prædestinatione sensisse, convincas, exposuerim Lib. 1. cap. 16. necnon art. 25. Tomi 2. Gallicæ Defensionis; inimaque, que tu studiose diffimulas, Molinianæ systematis arcana detexerim. Ut fileam etiam, nihil a te novi ex Molinæ, ac Bellarmino laudari, quod a publicis Societatis actoribus laudatum ante non fuerit, & a nostris cumulatissime confutatum. Quod ex lib. 2. ac 3. Historiæ nostræ percipuum est.

Illud mihi operosius refellendum, quod de Bellarmini Controversiis fuscè disputas, ut quam a Germanis Editoribus factam illarum interpolationem ostendi, falsi convincas, & in fabulis numeres. Age porro, ac num tu potius longas hac occasione fabulas narres, videamus.

Observatione in primis dignum, ais, nihil de adulteratis Bellarmini Controversiis somniarum a nostris, quoto tempore Bellarminus in vivis egit, est nobis tanti viri incommoda esset auctoritas; sed alias tunc nanius, quo præsertim tempore disputationes de Auxiliis Romæ ferverent, a nostrum uno vulgari ceptas in circulis; convictum scilicet a se familiaris disputatione Bellarminum, transire coactum in eam ipsam sententiam prædeterminantis gratiæ, quam in libris editis Calvinismi affinem nuntiaverat. Quo ille audito rumore, falsissima fabulæ auctorem coram duobus testibus convenit, redarguit, convicti, & ad palinodiam reduxit. Atque hanc causam fuisse, mo-

nes, cur morti proximus Bellarminus extare voluerit testimonium suæ in doctrina de Auxiliis constantiæ: de quo lib. 7. Vitæ ejus, cap. 3. hæc leguntur: „ In-
“ tererat P. Andreas Eudemon-Joannes, intima
“ consuetudine vir, ei apprime charus. Amicum
“ itaque amplectens tenerime, peccatori ejus ultimi-
“ mas eas preces reliquit, ut libros forte cum im-
“ primeret adversus hæreticos, hæc affirmaret:
“ Decedere se cum eadem fide, cum qua vixerat,
“ & pro Ecclesiæ defensione quæ scripserat, non
“ modo iterum dici a se, sed credi perfecte, uti
“ concepta prius animo, quam calamo. Porro
“ ut hujus testimonium rei extaret, documentum
“ constantissimæ ejus ad ultimam senectam fidei,
“ P. Andreas verba ejus in codicem retulit, ac
“ insuper subscribi voluit ab his, qui tum aderan-
“ rant. Et se habet in hunc modum Singrapha
“ jurata coram publico Scriba. Illustrissimus Car-
“ dinalis Bellarminus, proxime moriturus, quar-
“ to Idus Septembris, anno 1621. mihi Andrea
“ Eudemon-Joanni e Societate Jesu junxit, ut
“ testificaret, quæ ipse cuncta pridem scripserat,
“ edideratque pro fidei, & Religionis Catholicæ
“ defensione, ea rursus affirmare, & cum ea fide,
“ quam tutatus fuerat, mori. Item quoad opi-
“ niones de Auxiliis Gratia Dei, quæ inter Scri-
“ ptos Societatis Jesu, & Catholicos alios Au-
“ ctiores hodie agitantur, rata omnino habere, &
“ credere, se dedisse veritati, quæ in libris Con-
“ troversiarum habet; neque sententiam primam
“ circa eas mutasse. Huic vero ejus postulationi
“ rogati a me sunt, ut nomen adderent scripto
“ suo tres, Cardinalis ipsius agnati, Fratrisque,
“ seu Sororis Filii, Abbas Nicolaus Bellarmini-
“ nus, Marcellus Cervinus, P. Fabius Bellar-
“ minus; duo insuper cubiculi ejus administri,
“ & quinque alii nostri Ordinis Religiosi, qui
“ tum aderant. Hæc tu primo ingressu.

Substitamus hic parumper, antequam progrediamur ad reliqua. Quid est, rogo te, quod incommodam nobis Bellarmini auctoritatem obtendis; quasi nostra multum interesse putemus, quid ille in hisce scholæ questionibus fenserit? Immo hunc, data opera, singulis ferme tractatibus, non secus ac Molinam ipsum, impugnat Thomas de Lemos; impugnant in multis, quotquot inde ab ejus atate scripsere Theologi de Schola Thomistica: adeo non sumus, aut sumus unquam de ejus auctoritate solliciti. Sicubi vero suffragium ejus in Molinam, ejusque gregales urgemus, id haud alio tentamus animo, quam ut vestros domestico suffragio refellamus. Ac si simplicius audire cupis, quæ nobis de erudito alunde Theologo opinio insidet, scito, nos Bellarminum nec verum in omnibus Thomistam habere, nec putum in omnibus Molinianum; quem, uti in multis non dedignamur amicum, ita in multis non extimefcimus adversarium: in nulla tamen arbitrum, ac judicem volumus.

Quid etiam observatione dignum, ais, quod ejus Controversias, quoto tempore in vivis egit, a Germanis Editoribus interpolatas, questi non sumus; cum id potius observare deberis, non sumus; sed alias tunc nanius, quo præsertim tempore disputationes de Auxiliis Romæ ferverent, a nostrum uno vulgari ceptas in circulis; convictum scilicet a se familiaris disputatione Bellarminum, transire coactum in eam ipsam sententiam prædeterminantis gratiæ, quam in libris editis Calvinismi affinem nuntiaverat. Quo ille audito rumore, falsissima fabulæ auctorem coram duobus testibus convenit, redarguit, convicti, & ad palinodiam reduxit. Atque hanc causam fuisse, mo-

Quo

(1) Lib. 1. Hist. cap. 15.

(1) Part. 10. Const. §. 6. Litt. A. (2) Folig. & Pet. Sanc. lib. 2. c. 5.

Quo brevi verbo excitati tum primum nostrorum animi, ut arcanum, ex parte reclusum (quantum scilicet laudandæ Bellarmini demissioni, atque modestiæ, satis Sociis visum fuerat) ex integro rimarentur. Observatum enim in primis a nostris (1) est, nomine opinionum, quæ fructus inter hereticos uberioris spem facerent, ex familiari Societatis formula, Molinianas intelligi. Unde illi ipsi Bellarmini vitæ scriptores observant lib. 3. cap. ultimo, Societatis Præpositus Molinæ sententiam defendendam suscepisse adversus Prædicatorum oppugnationes, quia iudicabatur in primis idonea ad hujus ævi hæreses pervincendas. Observatum subinde, Bellarminum, tametsi factam mutationem, non modo æquanimiter, ut loquitur Fuligattus, sed cum hilaritate passus esse, minus tamen probasse atrocem illam de Thomisticis opinionibus Censuram, qua cum Lutheranis erroribus conferuntur lib. 4. De Gratia, & Lib. Arb. cap. 14. eamque idcirco, curata subinde Venetiis Editione anno 1599., expungi voluisse; præmissa etiam monitione, qua Typographos hortabatur, ut, juxta hujus unius exemplaris fidem, sua deinceps Opera recederent. Observatum tertio ex Actis Congregationis Auxiliorum, Cardinali Asculano significasse Bellarminum, (2) ex inconsiderantia factam esse, ut ne altera quoque parisi audaciæ censura ex lib. 1. cap. 12. expungeretur. Observatum quarto, quod in vitiatæ aliena manu, depravatissimæ scripturionibus ferme evenit, non satis inter se convenire Traditionis de Divina Gratia partes omnes: (3) nunc quidem Molinæ systema Augustino, ac Sacris Litteris contrarium dici, nunc conciliari cum Augustino: modo gratiam prædeterminantem cum Calvinii errore componi, modo Scripturæ, ac rationi consentaneam predicari. Quæ incautum, ac semisoumrem interpolatorem arguant, cui minus advertere libuit, num saltem assuti centones cum reliquis bene cohæreant. Observatum quinto, Bellarminum, quo tempore de Divina Gratia auxiliis prælectiones haberet Lovanii apud suos, contraria Læssio, & Hamelio, atque ita Molinæ, tradidisse; rei fidem faciëntiuræ Theologis Lovaniensibus in celebri Censuræ Præfatione: *Neque enim de studiosorum excidit memoria, quam Robertus Bellarminus, ex eadem Cathedra vestra, de ipsidem argumentis nuper & senserit, & publice docuerit, vestro nunc dogmati plane adversa, atque contraria. Quæ vera fateri, compulsi sunt Læssio, edito responso, etiam mutatum subinde Bellarmino animum estutierit; nullo tamen, ut alibi planum fecimus, (4) decantatæ palinodiaz producto momento.*

His omnibus rite perpensis, in eam sententiam adducti sumus, tentatam a Germanis Editoribus interpolationem ad eas Divinæ Gratiæ quæstiones certissime pertinuisse, in quibus ad Molinæ sententiam accedit Bellarminus. Cum autem factam ab iis immutationem, dicant Societatis Historici, non quoad pauca verba, certosque paragraphos, sed quoad pauculas opiniones; quas duas, tresve, ut minimum, intelligere necesse est; iustis inde præjudiciis ducimur, ut quidquid ferme in Eminentissimi Theologi Controversiis ad Molinæ sententiam accedit, aliena manu infartum existime-

mus. Quid hoc tandem addis, Bellarminum, morti proximum, suæ in doctrina de Auxiliis constantiæ testimonium extare, voluisse, ut rumorem, a viro quodam Religioso Romæ disseminatum, restingeret, quo privata disputatione convictus ferebatur, in prædeterminantis gratiæ sententiam

concessisse? Commentum hoc est, ab omni veri specie remotissimum. Demus enim, ut lubet, hos a viro Religioso sparsos sermones, eumque a Bellarmino falsi convictum, quo tempore (ut ipse quidem notas) Auxiliorum Controversia ferveret: quis putet, Eminentissimum Principem, si quod contra falsum buccinatorem egregie revictum extare monumentum voluisset, annos demum quindecim, quibus Auxiliorum Disputationibus supervixit, expectaturum; idque oneris extremæ voluntatis exequenda curatibus relicturnum? Fabulam revincit hæc ipsa, quam recitas ex Vita Bellarmini, proluxa narratio, si distinctius perpendatur. Aliud quippe amicum precatum est moriens, aliud amicum in Singrapham retulit. Et amicum quidem id unum precatum legitur Bellarminus, ut libros forte cum imprimeret adversus Hereticos; hæc affirmaret; decedere se cum eadem fide, cum qua vixerat, & pro Ecclesiæ defensione que scripsisset, non modo iterum dici a se, sed credi perfectæ, uti concepta prius animo, quam calamo. Ubi nihil de Dominicano buccinatore, nihil de Divina Gratia quæstionibus, inter Ecclesiæ Theologos controverfis; sed de solis Hereticis, deque fidei dogmatibus, adversus eosdem, dum viveret, defensatis. Verum extremam amici voluntatem prætergressus Eudemon Joannes, Instrumentum, extracto post diem septimum Bellarmino, confecit, & a suis subseribi voluit; in quo etiam (ut domesticæ Scholæ compendiis plus iusto prospiceret) contentans in doctrina de Auxiliis Bellarmini justificationem interit, nullam tamen (quod hic unice queritur) rationem insinuans, quæ demoraturum, ut id ab amico deprecaretur, extimulasset.

Confirmat hoc idem Marcellus Cervinus, Bellarmini ex Sorore nepos, qui presens fuisse dicitur, dum hæc ultimas preces amico reliquit. De his quippe sic habet, in Avunculi Vita, Senis anno 1622. qui alter ab obitu fuit, publicata, & Gregorio XV. nuncupata. *R. Patrem Andream Eudemon-Joannem rogavit, ut literis restaretur, se per misericordiam Dei in Ecclesia Catholica, & in ea fide decedere, quam semper animo, & scriptis professus fuerat, ac nec de ea aliter morientem sentire, vel sensisse unquam, quam Operibus docuerat suis. Et hic quoque alrissimum de agitatibus inter Catholicos Controversiis silentium est. Una mihi in manus venit Gallica Narratio rerum memorabilium, quæ in obitu, & funere Cardinalis Bellarmini contigere &c. Attrebati typis edita anno 1622. ubi factam de Divina Gratia auxiliis mentionem, narrat Auctor anonymus. At vel hæc ipsa narratio tibi præ cæteris jugulum petit; quippe distinctis verbis significat, Bellarminum hujus suæ constantiæ publicum testimonium reddi voluisse, præsertim adversus Hereticos, qui multa ab ipso revocata per summam calumniam publicabant. *Après qu'il eût reçu l'extreme Onction, il protesta de mourir dans la Foi, en laquelle il avoit vécu, & dit au P. André Eudemon-Jean, qui étoit présent, que tout ce, que le dit Cardinal avoit écrit, & imprimé, de ce, qui concernoit la Foi à l'encontre des Herétiques, comme aussi de la matière de Gratia, & de Auxiliis, il le ratifioit, & confirmoit de nouveau; & vouloit, que le dit Père en rendit témoignage particulièrement en public, PRINCIPALEMENT CONTRE LES HERÉTIQUES, QUI ALLOIENT CALOMNIANT, QU'IL S'ÉTOIT DEDIT DE BEAUCOUP DE CHOSSES. Et un de ses Neveux, qui étoit présent, fut d'avis, que pour la réputation de son Oncle, on fit un Acte de cette déclaration; qui fut fait**

fait à l'instant, & signé de ceu, qui se trouverent présents. Quod ita Latine dicas. *Sacro ad luctum ultimam Olea immixtus, eadem se fide moti denunciavit, quam caluèrat vivens. Dixit Patri Andream Eudemon-Joanni, qui tum presens aderat, se ratum habere, ac deus confirmare, quidquid de Fide scripsisset adversus hereticos, deque Divinæ Gratia auxiliis, de quoque omnino, ut id singulariter publico testimonio restaretur, præsertim adversus Hereticos, qui multa ab ipso revocata, per summam calumniam publicabant. Censuræque, qui coram aderat, Nepotam unum, ut pro tuenda Avunculi fama, facta denunciationis Instrumentum condiderit: quod exemplo confectum est, quotquot aderant, subscribentibus. Unde facile colligas, Bellarminum (si quo forte de mutatis pristinis opinionibus sparsio rumore adductus est, ut suæ hujus constantiæ testimonium extare apud posteros, vellet) Hereticos tantum calumniam hujus auctores, non tuos illos, ut comdubiicetis, Dominicanos buccinatores, in oculis habuisse. Sed præstat, ad ea, quæ subjicis, festinare.*

Intactas, puras, & integras Bellarmini Controversias, nec a Germanis Editoribus interpolatas, evincere, tibi putas, ex Recognitione Operum suorum, quam annis viis postremis edidit Theologus Purpuratus, adjectique ad calcem Tomi 2. Controversiarum Editionis Colonienfis anni 1615. hæc etiam in ejusdem Tomi fronte præmissa Epigraphe; *Editio ultima, ab ipso Auctore acta, & recognita. Accesserunt Opuscula aliquot, ab Auctore edita, una cum Recognitione Operum suorum.* In ea siquidem, uti mones, quacumque in libris Controversiarum contra physicas prædeterminationes, pro Gratia congrua, & Scientia-Media disputavit, renovat, confirmat, & novis etiam argumentis ampliora facit. Quo momento solum olim, fugatumque ab Annato, ais, *Questionarium Tolosanum*; (1) qui cum primum adulterati Bellarmini mentionem subimide iniecit, ea demum publica justificatione victus, ex arena silens, tremensque excessit. Ita ne, amabo te, tam levi iclu peritus; hactam abiecit, tam bonus miles? Mihi certe nihil tam futile, tam elumbe visum est, quam quod invictum prædicas argumentum. E quidem, si quæ a Germanis Editoribus anno 1592. tentata dicitur interpolatio, Actoris ipsius ingratiss, atque injuriis facta etiam diceretur; haud leve ex adverso momentum peteretur, ex adornata anno 1615. Auctoris Recognitione, qua, quacumque aliena manu infarta creduntur, novis rationibus confirmantur. At cum factam a Germanis immutationem, non modo æquanimiter, sed cum hilaritate etiam passus sit, uti laudati toties Societatis Historici memoria prodiderunt; quis mirerit, id ab eo, dum opus recognosceret, confirmari; quod, aliena licet manu ingestum, æquanimiter tamen, ac etiam hilariter adoptaverat?

Addam etiam, Bellarminum in ea Operum suorum Recognitione adornanda, non tam suo ductum ingenio movisse calamum, quam Sociorum natus, ne dicam imperio, quorum consiliis in fingenda opinione adeo ducebatur, ut ingenio sæpe suo detraheret, ne illorum auctoritati repugnaret. Quo fit, ut non tam Bellarmino, quam Sociis, lateri adherentibus, tribui possit, ac debeat. Id a me, aliis tamen verbis, lib. 2. cap. 1. infirmatum, commentum audacissimum vocas, nullo nixum fundamento, nisi quod edita ab ipso auctore Recognitione rebus meis incommode. Audi ergo, & an tuis valde rebus incommodeum sit, quod ab ejusdem Vitæ Scripturibus (2) proditi-

tum est, nobis ediffere. In Recognitione hæc Operum suorum, usus est omnium frequentissima Mutatio Vitæ, Amicorum optimo, qui nunc Societati universæ præest; sæpe etiam Benedicto Justiniano, & Andream Eudemon-Joanne, ab ea tempore, quo Mutius factus est totius Ordinis Præses: idque veneratione supremi muneris, & occupationum maximarum; non audent, eum a re communi devocare privatim ad sua. Hi fideles Monitores, & amici vel silabant unam censuram liberrime; tum quia cuperent, Opera ejus esse adeo compositi ornatus, ut neque novum haberent; tum quia sciverent, ejus ingenium, ad amicorum persuasiones factum, monitoribus sperare esse, vel repugnans, non solere; immo potius de re mutanda statim deliberare, dictorumque priorum oblivione pati. Interdum illud asperabat: Sentiebam ego aliter; sed iudicium vestrum optimum est. Quin immo, si ubi censura anceps foret, & ipsius meditationi relinquere, restiteri, an induci res aliqua debuisset, severius semper adversum se pronuntiabat.

Censurata, ac plane diluta tua illa, qua putas, ubi de Auxiliis agitur, Bellarmini Controversias contendebas, ineluctabili probatione, stant inconcussa tenitate a Germanis Editoribus interpolationis, ac vitiationis argumenta; quorum aliqua, cæteris plane dissimulatis, nonnulli nugaci cavillatione elidere niteris. Audiamus disputantem, nostraque in nos tela retorquentem. Fuligattus, inquis, & Petra Sancta diserte testantur, Bellarminum in his, quæ ad prædeterminationem, & gratiam pertinent, constantem se, & inextinguibilem præbuisse; quando alias pauculas opiniones suas immutari, sciens, volensque passus est, antequam ejus Opera eederentur in lucem. Sic enim scribunt lib. 2. cap. 5. „ Sed tum maxime, aut nunquam alias apparuit hæc ejus virtus, quando volumina Controversiarum disposita, ut in lucem edi possent, non modo æquanimiter (si cur ipsemet deinde Benedicto Justiniano testatus est) sed cum hilaritate etiam passus est, a Patribus Societatis in Germania quoad pauculas opinioniones immutari, in spem fructus inter hereticos uberioris. Quæ res cum apud vulgaria ingenia etiam raro, atque ægre impettrari soleat; æstimari potest, prope ultra modum sine ne esse in viro, qui in hoc genere studiorum excessit avi sui Scriptores omnes. Sin vero dogmata ipsa fidei, opinioneseve ab Auctoribus optimis, neque numero paucis; deprompta, vel etiam momenta rationum prima, quæ assensu stabili aut fundant verum, aut mores instruant, ejus in Operum censura notabantur; dici non potest, quam constantem se, immutabilemque præberet. Clare id agnitum est in his, quæ evenere circa editas opiniones de Prædeterminatione, de auxiliis Divinæ Gratia, deque obligatione in pauperes distribuendi; quæ a censu annuo superant. Sic gnarus, in quibus oporteret aut vincere, aut evinci, satis ostendit, studio virtutis duci solitum sese, ut ingenium difficile, ac facile, pulchre sineret ex sola virtute variari. Hoc scilicet, Eleutheri, est Lectionem lepide ludicari: Nimirum facta duo, conditione, loco, tempore diversissima, in unum, idemque compingis, ut illudas. Agunt enimvero laudati Scriptores de summa animi demissione, qua solitus erat Bellarminus aliorum censura acquiescere. Cujus eximia virtutis exempla non paucæ recitant; atque illud in primis, quod paulo ante memorabam, de Operum Recognitione, Romæ circa annum 1615. adornata; at tum postea institud

(1) Reginaldus Gonetus, Ferre, Piccinardus. (2) In scripto dato 26. Martii 1601. (3) Lege Hist. lib. 1. cap. 14. & lib. 2. cap. 1. (4) Sect. 2. cap. 5.

(1) Antoninus Reginaldus. (2) Fuligattus & Petra Sancta lib. 2. cap. 5.

stud alterum, de facta a Germanis Editoribus mutatione anno 1592. Post hæc de constantia in terna, ubi res postulabat, suscepta sententia, sermonem instituit; cuius hoc unum specimen præbent, quod in ea, quæ Romæ fieret; Operum censura, pati omnino noluerit, ut quæ de prædestinatione, deque auxiliis jam edita fuerant, mutarentur. Tu vero omnia sus, deque misces, & quæ Romæ circa annum 1615. in postrema Operum Recognitione gesta sunt, ad tentatam anno 1592. Ingolstadii mutationem refers; quasi cætera tunc corrigi passus Bellarminus, nil tamen circa prædestinationis, & gratiæ quæstiones immutari, permisisset. Certe hæc qualemcumque in prædestinationis, & gratiæ quæstionibus Bellarmini constantiam, a Societatis Scripторibus celebratam, non ad tentatum Ingolstadii facinus pertinere, hoc argumento evincitur; quod eam enituisse dicant, in his, quæ evenere circa EDITAS OPINIONES de prædestinatione, &c. dum videlicet de censendis jam editis Operibus ageretur: cum contra, Ingolstadii mutatio attentata sit, dum de prima curanda Editione agebatur; seu, ut illi ipsi Scriptores habent, quando volumina Controversiarum disposita erant, ut in lucem edi possent.

Dicamus igitur simpliciter, quod res est, & tuas illas, quibus lectores ludis, officias depellamus. Tamen in ipsis prædestinationis, & gratiæ quæstionibus, immutata Ingolstadii jam ditu esse Purpurati Theologi Controversiæ, & ad Molinianæ opiniones aliqua ex parte inflexæ fuisse; factamque ille a Germania Sociis mutationem atque, & hilari tulisset animo: necdum tamen compuncti Societatis causæ plene, cumulateque consultum, bonis illis Monitoribus videbatur, qui suam illi operi, in recognoscendis sub vitæ finem Operibus, commodabant. Dolabant novis illis Censoribus oculi, quod purum, putumque Molinismum non spirarent Viri summi lucubrationes; nonnullaque retinerent, Molinæ capitaliter adversa: quale profecto illud est, ut cætera mittam, quod lib. 1. De grat. & lib. arb. cap. 12. scriptum est: Prima opinio eorum est, qui gratiam efficacem constitunt in assensu, & cooperatione humana, ita ut ab eventu dicatur gratia efficax, quia videlicet sortitur effectum, quia voluntas humana ei cooperatur. Itaque existimant hi auctores, in potestate hominis esse, ut gratiam faciat esse efficacem, quæ aliquando ex se non esset nisi sufficiens. Hæc opinio aliena est omnino a sententia Beati Augustini, & quantum ego existimo, a sententia etiam Scripturarum Divinarum. Denique hæc opinio evertit omnino fundamentum prædestinationis Divinæ, quam Sanctus Augustinus ex Divinis Litteris solidissime comprobavit, &c. Hæc, inquam, aliaque id genus, Molinæ capitaliter adversa, ægris oculis aspicebant intimi Monitores, quæ idcirco expungenda, immutandaque, significabant. Quorum ille consilia repudiavit, ac tum se constantem, & immutabilem præbuit, ne quid ultra rescinderet; satis, in eo quæstionum genere, Societati indultum, ratus, quod inductas a Germanis immutationes æquanimiter, ac etiam cum hilaritate passus esset. En tibi, quid rei fuerit, Eleutheri, quodve, quæ occasione datum a Bellarmino constantiæ specimen. Sed ad sequentia nos vocas.

Quæ ridicula, exclamas, collectio illa est, immutatas a Germanis Editoribus in Bellarmini Controversiis opiniones ad Divinæ Gratia quæstiones pertinuisse, quia in spem fructus inter hæreticos uberioris immutatio facta est: quasi in tot materiis diversissimis, alia occurrere non potuerint opiniones, quæ, mutata paululum, spem quoque facerent fructus inter Hæreticos uberioris? Da veniam, Eleutheri, si tua tibi verba

reddo. Quæ ridicula refutatio illa est, consecutionem illam, ex hoc uno verbo a me derivatam, commissi, cæteraque probationis huiusce mæ adjuncta silentio premere, ut factus referatur: quasi in tot allatis paulo ante observationibus alique non occurrant, quæ primo huic momento robur asserant; aut forte non omnes simul acceptæ observationes illæ nostræ simulatam probationem consilient? Quod certe in eo argumenti genere, quod ab adjunctis, & conjecturis est, abunde sufficere, nemo nescit. Quid secundam, ac tertiam observationem, quæ præ cæteris urgent, eate diffimulas? Quid quartam, ex Bellarmini sententiis, Molinæ contrariis, petitam, nonnisi delumbatam, ac mutilatam proponis; aperta scilicet illa, quam paulo ante ex libro 1. cap. 12. recitabam, omnino dissimulata sententia; ut in aliis, ex lib. 4. cap. 11. & 16. petitis, liberius cavilleris; gratiamque physicæ prædeterminationem illic a Bellarmino minime agnitam, probes?

Non hic ego curiosus expendam, an ab iis saltem Bellarmini locis tere utrumque expedit, illosque ad sententiam, physicæ prædeterminationi contrariam, recte inflectas. Hoc dico tantum, non ideo abs te Bellarminum ad Molinæ partes aggregatum iri, quamquam illum physicæ prædeterminationi contrarium offenderes: cum sine physicæ prædeterminatione impugnari Molinæ possit, ac ipsa etiam Scientia-Media; nec desint Theologi primæ notæ, omni partium affectu vacui, qui Bellarminum medium quid propugnare putent; eumque, retenta gratia se ipsa efficaci, tam a nobis, & physicæ prædeterminatione procul abiisse, quam a Molina, & Scientia-Media recessisse, arbitrentur. Quamquam Bellarminus, in explicanda huiusmodi prædeterminatione, & applicatione, videatur a communi Thomistarum sententia deviare, ut a Calvini errore longius recedat; non ideo tamen accedit ad Molinam. Ad id mihi omnino compertum est, qui scio, Bellarminum id tantum velle, ut illa physicæ prædeterminationis qualitas exterminetur. Ceterum admittit gratiam efficacem ab intrinseco, ac ex virtute propria, ac ex ea morale determinationem. Itaque Augustino adhaeret, ac proinde longe a Molinæ doctrina hæc in parte abhorret; & Scientiam-Mediam, prout ab eo est introducta, proterus excludit. Ita Franciscus Macodo, Ordinis Minorum, Tom. 1. Collationum, collat. 11. diff. 1. sect. 5. & 4.

Et tu semper laboras æquivoco, ut ea mihi libentius affingas, de quibus ne somnari quidem: ut quod Bellarminum juniorem physicæ Lovanii prædeterminationes prælegisset, dixerim: cum illud duntaxat inuenerim, eum doctrinam Lovanii tradidisse, quæ Lessius, & Molinianis novitatibus adversaretur. Satis enim animo fixum habui, posse & Lessii, & Molinæ doctrinam, ac ipsam quoque Scientiam-Mediam, tacita physicæ prædeterminatione, reselli, gratiamque se ipsa efficacem, missa physicæ qualitate Thomistica, a multis magni nominis Theologis propugnari. Quam vere autem, Bellarminum contraria Lessio, atque ita Molinæ, Lovanii tradidisse, scripserim, ex antedictis aperte liquet: contra quæ, præter technas, jam a me resutatatas, nil nisi futiles chartas opponis, ut etiam suppositionis aperte convictas, quibus Bellarminum dictata subinde retraxisset, Lessioque, a Lovaniensibus male muldato, adfuisse, contendis. Ita quippe rem agit: Joannes Strienus, Middelburgensis Episcopus, anno 1587. scribens Lindano, Ruremondensi Archiepiscopo, visum a se Scriptum Bellarmini, quæ significat, in Lessii propositionibus, a Lovaniensibus consensu, nihil omnino contineri, quod merito quemquam possit offendere. Extæ etiam in

Archivo Collegii Lovaniensis Societatis Jesu Autographum, manu Bellarmini exaratum, (1) quod R. P. Florentius Montanoensis Roma in Belgio attulit, misitque Lovanium anno 1651. die 12. Septembris, quo Lessii doctrina defenditur. Primum aut aperte falsum, aut certe in majus auctum, & amplificatum, nemo non videt. En tibi Strieni verba Epistola laudata: Lessius, & Homelius doctrinæ sue propositiones, quarum tibi copiam, si vises, faciam, Roman miseram ad Ordinis Generalem, qui eas iussit a Theologis examinari; qui responderunt, nihil in illis contineri, quod merito quemquam possit offendere. Vidi de hac re Litteras R. P. Bellarmini. Quibus sane verbis non inquit Strienus, visam a se Scripturam, Tractationemve Theologicam Bellarmini, quæ significaret, nihil observatum a se in Lessii propositionibus, quod merito quemquam possit offendere; sed nudam sibi visam Epistolam scribit, quæ istud, ut ut maxime, continebatur; Theologos, a Præposito Generali deputatos, ita de Lessii propositionibus statuisse. Num autem ita sentiret Bellarminus ipse, ne leviter quidem inquit. Alterum suppositionis aperte convincitur. 1. Si quod huiusmodi scriptum, a Bellarmino fuisse tunc temporis editum, Lessius, a Lovaniensibus læcessit, quod contraria Bellarmino docuisset, non illud utique omisissus erat, ut in suam tandem sententiam descendisset Bellarminum, certissimo documento convinceret: nec nuda verba, ex illius ore excerpta, quibus in iudicio nulla fides, venditare compulsus esset, ut decantatam ab illo palinodiam persuaderet. 2. Vifa Lessii, aliorumque Societatis Professorum Apologetica Responstone, quæ decantatam a Bellarmino palinodiam effuriant, nihil plus convicti fere Theologi Lovanienses; immo de ea Viri summi retractatione, tanquam de re pro arbitrio consensa, atque vulgata, pronunciarunt, in Censuræ Defensione: SI VERUM EST DE PARTE BELLARMINI, QUOD SCRIBUNT PROFESSORES, sententiam illum mutasse nisi suam; equidem viderint, a quibus, quam idoneis, iustisque causis inductis, vel persuasus id fecerit, &c. Quis porro credat, adeo parum honori suo consulturos Belgii Socios, ut producto, quod factas, authenticum Instrumento, non illico annulis ora præcluderent? 3. Incredibile est, Bellarminum, cujus dictata scripta Lessio a Theologis Lovaniensibus opponerentur, nihil de scriptis suis, deque mutandæ deinceps sententiæ rationibus, tota illa in Lessii gratiam elucubrata scriptioe dicturum fuisse, ut pro se ipse responderet, qui in causam oblique vocatus erat a Lovaniensibus. 4. Toto ferme anno 1601. de Bellarmini sententia acriter in Congregationibus Auxiliorum actum est: De Lovaniensi etiam in Lessium Censura non semel in frequentibus congressibus sermo incidit; cuius vim, & auctoritatem urgebant Thomisticae partis auctores: nemo tamen Sociorum inventus est unus, qui hanc Bellarmini Scripturam in medium protulerit, tamen ignota illis esse non potuisset. 5. Quis facile sibi persuadeat, viros in suis servandis finibus adeo experrectos, & acres, in ea, quæ per annos amplius sexaginta urgetur, lite, de vitiatas circa gratiæ quæstiones Bellarmini lucubrationibus, scriptum, quo vel uno causa dirimi possit, ac blattis alendis relictuos, nec nisi post annos quindecim supra centum in lucem edituros; nisi aperta suppositionis indicia præ se ferret? Sed est, inquit, quod modo Lovanii servatur exemplum, manu Bellarmini exaratum. Et id vero Serry Tom. II.

quæri potest, an ita sit. Demus tamen, id esse: certe, cum perbrevis scriptio illa sit, ad formam supplicationis Summo Pontifici factæ, nec auctoritas nomen præferat, potuit a Bellarmino ad privatum usum transferri, & inter adversaria referri, tamen ab altero edita esset.

Atque hæc de Bellarmino plus satis. Interea grates habeo, quod, te monitore, didicerim, Tertium Controversiarum Tomum, (2) qui de Divina Gratia disputat, anno duntaxat 1592. in lucem Ingolstadii prodidisse, quem anno 1590. editum dixeram. Quid inde tamen ad eluendam interpolationis labem extundas, haud satis capio; cum utroque perinde anno interpolatio attentari potuerit.

CAPUT VII.

De Pererio, & Henriquesio, in Historia nostra citatis, & inter Molinæ adversarios recensitis.

Quod Pererium, Molinæ doctrinæ oppugnatorem, laudari Lib. 1. cap. 16. eundemque Molinæ patronis adnumerari Lib. 2. cap. 4. non rem ego, uti objicis, mirabilem feci, sed fecit ipsemet; qui, cum annis 1572. & 1578. nondum factam a suis aliam cererer, Thomisticae scriptis, ubi Societatem Molinæ causæ implicitam vidit, novos sensus induit, suamque illi publica suffragatione advocatorem accommodavit anno 1599. domesticæ legis religiosus observator: (3) Pavatus sit ad iudicium suum submitendum, sentendumque, ut fuerit constitutum in Societate, de huiusmodi sentire, oportere. Non ego itaque contraria scripsi, sed Pererius, plus æquo mobilis, contraria subinde sensit. Tu vero rem longe mirabiliorem facere deprehenderis: qui, ut mihi dictorum repugnantiam exprobes, id mihi fidenter assingis, de quo nec per somnium cogitavi: quod nempe Molinæ Concordiæ librum Pererius displicuisse, dixerim, dum opus Philosophicum ederet, quod tamen, annis ante Concordiam ciciter sexdecim, lucem aspexit. Longe aliter ego loco laudato. Pererius, dixi, Romæ docens, quæ tempore in Molinam orta tempestas est, cum a suis indefensum relinquit, voluit, sepiusque Præpositus obtestatus est, ne se, totamque Societatem in eius defensione committerent. Neque vero id mirum: erat enim vir eruditus, doctrinæ Thomisticae studiosissimus, qui suam de controversiis dogmatibus sententiam scripto consignaverat, diu antequam Molinæ Concordia turbas in Hispania concitaret. . . Et quidem lib. 8. de communibus rerum naturalium principiis, &c. Quid vero repugnat, Pererium, annis ante editam Concordiam ciciter sexdecim, eandem, quas subinde verlavit Molina, controversias agitantem, contrariam placitis ejus sententiam propugnasse? Hæc si mutuo pugnant velis; quid superest, nisi ut Theologos illos pugnantia locutos dicas, qui Augustinum contra Molinæ Concordiæ scriptis, tam sepe asseverant; illosque putido anachronismo lapsos obtendas; quasi ista cum dicit, Molinæ Concordiam ante D. Augustinum editam, velint?

Resistis adhuc, ac ne juniorem quidem Pererium aliud a Molina sensit vis: 1. quidem, quod loco, a me appellato, non prævias Dei motiones posuerit, sed eas solas, quas scholæ usu simultaneas nuncupamus. 2. Quod disp. 21. in cap. 1. Epistolæ ad Rom. n. 119. physicam Dei

(1) Extat in Appendice Eleutherii. (2) Tomus ille 3. in postremis Editionibus 4. est. (3) In Stat. cap. 4.

motionem, ac determinationem ad malum, exposuerit. 3. Quod disp. 7. lib. 16. in Genesim, futura, conditione suspensa, a Deo certissime sciri, ponat, propter infinitam intellectus sui perspicacitatem, nulla decreti habita ratione. 4. Demum, quod nihil a Catholico Pererrii dogmate de gratuita ad gratiam vocatione Molina diffideat, cui non nisi per calumniam imponitur heretica opinio vocationis ad gratiam, facta ex prævio usu bono liberi arbitrii. Nihil hic novum video, quod responsum non modo exigit, sed tanquam supervacaneam non recuset. Primo enim capite lectorem ludis, qui unicum a me productum Pererrii locum fingis, in quo liberius cavillaris, num de præviis Dei motionibus intelligi queat; cum alia distinctiora laudarem, de quibus dubitatio suboriri nulla possit. De secundo in *Schola Thomistica vindicata* fuisse dixi, animadv. 39. pag. 192. palamque feci, Quætionem de physica ad peccati adum prædeterminationem nihil cum agitate de Divina Gratia efficacia celebrerim. Controversiis habere commune; nihilque plane referre, quam quisque partem accipiat. Ad dam, Pererrii ad ipsam Lemosii sententiam flecti posse; nec aliud loco objecto sibi voluisse, quam Deum ad materiale peccati non præmovere, ut fundat formale; quod a Thomistis ultro dabitur. Nisi forte hoc tibi responsum dari mavis, Pererrii Commentariis in Epistolam ad Romanos, anno dumtaxat 1603., ante auctoris obitum septimo prodidisse; eosque idcirco inepte laudari, ut quid ille ante annum 1599., atque ætate juvenis fenerit, palam fiat. Tertium plane ridiculum est. Etsi enim infinitam Divini intellectus perspicaciam, cujus opæ futura, certis conditionibus illigata, cognoscantur, Pererrius notato loco professus sit; non ideo tamen decretum sublatum voluit, quo uno res habent, ut futuræ sint; quandoquidem id a se ipsis habere non possunt. De quarto millies dictum, nihilque per calumniam Molina affingi, sat clare supra cap. 2. demonstratum est. Quod ne ultra in dubium voces, hanc tibi Doctoris tui de Christo ipso, ejusque Virgine Matre, sententiam habe omnium disertissimam, qua illum quidem ad unionis Hypostaticæ, itam ad Divinæ Maternitatis gratiam electos, ait, ob prævium innatam libertatis usum. *Ulad etiam, quod ad exaltationem, laudem, & honorem Christi, Sanctissimæque illius Matris spectat, videtur admodum verisimile, sacrosanctis eorum duorum animabus non solum excellentiora dona Deum conferre decrevisse, sed etiam easdem prævidisse, melius, quam ceteras, pro sua innata libertate usuras suo arbitrio; eaque ratione in tantam dignitatem, prius, quam ceteras, fuisse electas.* In Concordia quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 1. §. *Ulad etiam:*

Benedicte Pererrii junxi Henricum Henriques, quem Tractatu De fine hominis, locis propemodum infinitis, Molina Doctrinam oppugnasse, dixi; quamquam, ne lectorem tædio solverem, a proferendis distinctis testimoniis abstinuerim; scriptores dumtaxat indigitans, a quibus, data occasione, laudata sunt. Verum, cum de more repugnes, nec sine stomacho; ipsumque Henriquesium, cum in aliis longe multis, tum in ipso Scientiæ-Mediæ, & Gratiæ congruæ capitali dogmate, Molinae consensisse, contendas; hæc tibi pauca saltem ex multis habe eruditus Theologi testimonia, quibus prima Scientiæ-Mediæ fundamenta suffodit, Molina ipso, quem adversarium insequitur, ex ipso nomine appellato.

Lib. De fine hominis, cap. 4. §. 1. „ Quidam dicunt, veras esse propositiones de futuro, in signo rationis, antequam percipiatur ulla

„ Divina voluntatis prædeterminatio, & præsciri „ in se ipsis . . . Hinc gradum faciunt, ut ad- „ mittant, in causis præsciri omnia futura con- „ ditionata: nempe quid generaliter, & qualis „ electio in voluntate hominis sequeretur in tali „ prævio causarum, & circumstantiarum omnia „ concursu, si Deus abque prædeterminatione, cum „ communi tantum auxilio nature, & gratiæ „ concurreret. Et quasi rem novam se invenisse „ putantes, (nam in hac antiqua controversia „ non confugiunt universaliter Patres, & veteres „ Theologi ad conditionatam præscientiam, aut „ ad reflexivam istam providentiam) ex eo fun- „ damento nituntur persuadere, salvari Dei pro- „ videntiam, & prædeterminationem, apud Sacram „ Scripturam, & Patres expressam, si Deus in „ omnibus, aut plerisque humanis actibus (præ- „ sciens in causis creatis, quid hic, aut ille, si- „ bi relictus, esset electurus, aut facturus) ap- „ probet tantum earum causarum concursum abs- „ que impedimento. Quæ scientia approbationis „ vocatur ab ipsis, & causa, & providentia ho- „ norum omnium, etiam in singulari, cum omni- „ bus suis circumstantiis; ita ut multi dicantur „ ab istis prædeterminari eo tantum, quia Deus „ prævidit, relicto in communi auxilio, iustifi- „ cari, perseverare, & decedere in gratia, & be- „ ne usuros preparatis remediis. In eum finem „ hæc disputant hi auctores, ut pro libero usu „ nostræ voluntatis (quem aliter vix salvari „ putant, circa-impletionem præcepti, & vita- „ tionem peccati) dimicare se putent contra im- „ pium Lutherum. Sed hæc sententia non est „ necessaria pro afferenda hominis libertate, ut „ dicitur cap. 6. & 14. & in multis deficit. „ Hæc ille pro more in textu. Quæ licet in Mo- „ linian scripta nemo non videat, aperte tamen re- „ nunciat in Commentario ad litt. E. Ita loquentes „ servant quandam rationem prædeterminationis, præser- „ tim circa insalubrem consecutionem finis: & pu- „ tant, hoc posito, facilius salvari usum nostræ liber- „ tatis in exercitio, quam ab his, qui dicunt, omnes „ actus liberos antecedenter prædeterminari a Deo. In „ quem finem Molina totus incumbit, & Mendoza, „ & alii citati litt. C. At Patres, & Theologi, „ quos in tam difficili re oportet sequi, vix mentio- „ nem faciunt in proposito de illa præscientia condi- „ tionatorum, & plus requirunt. Et, paucis interje- „ ctis, ad litt. H. indigitans, quinam hi auctores „ sint, qui nova ista excogitarunt, ut pro libero „ usu nostræ voluntatis pugnent contra Lutherum: „ In hunc finem, inquit, Molina scribit totum li- „ brum de Concordia supra 1. part. quæst. 14. & 22. „ per multas disputationes. . . . Favet Suarez 3. part. „ quæst. 15. art. 2. dub. 33. quia difficile putant, „ salvare, quomodo liberum sit præsciri vitare pecca- „ tum, & damnationem, si nemo vitat, nisi omnis „ actus prædeterminatur a Deo. At hoc facile solvitur, &c.

Eodem cap. 4. §. 2. in textu. *Futura condi- „ tionata cum non habeant realem præsentiam sui in „ eternitate, non præsciuntur scientia visionis. At, ut „ Deus certe præsciat simplici intelligentia (que a „ Theologis in Deo dicitur respectu possibilitatis) neces- „ se est, in signo rationis supponere liberam quandam „ Dei conditionalem prædeterminationem, qua posita, no- „ vit, quid esset facturus in tali rorum concursu, & „ occasione. Novit enim Deus, preparare voluntatem „ nostram, ac munire nos, tantis, talibusque auxiliis, „ & causarum concursu, & conditionibus, ut insalli- „ bile sit, scientiæ Divinæ securum effectum prædetermi- „ nari, & liberum nostræ voluntatis consensum. Hæc „ præscientia, que conjuncta est providentiæ conditio- „ nali, non est omnino naturalis Deo, cum supponat „ quandam veram prædeterminationem liberam, & præ- „ visionem causarum creaturarum.*

Et

Et cap. 6. §. 2. Molina momentum evertit, quo gratiam, suapte natura efficacem, impedit. *Obijciunt quidam: Si causa efficiat, & supposito, ex qua insalubriter sequitur effectus, est jam posita in actu, nec ea est, aut inquam fuit in libertate mea; qui fieri potest, ut effectus, & actus, sit a Deo prædeterminatus antecedente voluntate, & mandan- „ dus executioni cum efficaci auxilio preveniente, ma- „ neant nunc in libertate nostræ voluntatis? Quibus „ respondetur: 1. Antecedens esse causam rei, non „ utcumque, sed rei cum suo modo libero; atque ita „ inferri effectum liberum. Alioquin Deus non asseque- „ retur modum, quem sua providentia, & suavi mo- „ tionem intendit, nempe ut effectus in exercitio libero „ fiat per causam proximam. Quocirca ibidem in „ Commentario ad litteram L. Falso quidam ne- „ gant, D. Thomam ausum fuisse expresse versare „ cum difficultate: Quomodo, Deo prædeterminante, „ & preveniente voluntatem nostram, necesse sit, in „ sensu composito hominum moveri; & tamen volun- „ tas nostra ita libere moveatur, ut in sensu diviso, „ & simpliciter possit non moveri? Quo capite diffi- „ cultatis summa posita est.*

His omnibus sigillum ponit, quod habet hoc ipso Commentario, ad litt. X. Addit Molina disp. 50. & in Appendice pag. 14. *Prædeterminationes „ quasdam, quas quidam Hispani a viginti annis in- „ vexerunt, repugnare libertati nostræ. Et hæc negat, „ actus liberos nostros prædeterminari a Deo, ante- „ quam præsciat liberi arbitrii cooperationem. Et qui- „ dam recentiores id referunt in præscientiam futuri „ conditionatorum, de quibus supra cap. 4. §. 1. „ litt. C. Hæc sententia est plane contra Augustinum, „ & Drum Thomam. Quem Augustinum Hæretici „ recentiores, & Erasmus falso putant, ita extulisse „ gratiam, ut usum arbitrii tollere videatur.*

Vide nunc, Eleutheri, quo me jure delusum, scribas, quod Henriquesium Molinae adversariis adnumerarim; Scientiæ-Mediæ, & Gratiæ congruæ censorem dixerim?

Sed favit ille, inquit, Molinae in multis, & a Thomistis pertæpe distent. Non inficior: at non in iis profecto capitibus, quibus stabat agitate de Divinis Auxiliis Controversiæ summa, de quibus unice sermo fuit. Atque, ut singula abs te recensita capita deducam: Physica in primis ad malos actus prædeterminatione, a qua Henriquesium abhorruit, præ, nunquam in celebratis Romæ Congressibus questioni fuit; nulliusque disputationis argumentum a Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. datum est. De solis motionibus, ad supernaturalem ordinem attentibus, actum video: ac si quando, relicto gratiæ se ipsa efficacis argumento, ad malorum actuum prædeterminationem Oratores vestri, fucum facturi, dedecere, durius a nostris excepti sunt, quod peregrina sederentur. Quæ de re dixi paulo ante (1.) Pererrii occasione. Tametsi vel ex hoc ipso Henriquesii loco, abs te laudato, perspicuum sit, nihil aliud velle illum, quam quod Thomistarum vulgus admittit. Deum nempe nec velle, nec amare: peccatum, nec illum auctorem esse, nec ad illum homines inclinare, immo nec materialiter entitatem providere, atque causare, quatenus fundat formalem malitiam ejusdem: quod Lemosii interpretamentum est, millies inculcatum. Alteram sufficientis gratiæ dogma, universis hominibus preparata, atque collata, cui etiam suffragatum Henriquesium, ostendit, (2.) longe minus in controversiam venit, in ea de Divinis Auxiliis mota lite. Quin etiam nec ab eo profus abhorrent Thomistæ omnes; quanquam in id consentiant universi, homines, qui Sery Tom. II.

buslibet sufficientibus gratis instructos, gratiæ in- „ super, suapte natura efficacis, auxilio egere, ut „ pietatis opus re ipsa exercerent.

Cætera, quæ profers ex Henriquesio, doctrinæ capita, in quibus eum, quoad ipsum efficacis gratiæ dogma, Molinae suffragatum, existimas, in alienum plane sensum detorta sunt, iis cate dissimularis, unde veram intelligentiam accipiunt. Et quidem cap. 5. De fide hominis §. 5. monet Henriques, in quibusdam hominum actibus salvari posse QUANDAM RATIONEM providentiæ, per præscientiam conditionatorum, cum approbatione voluntatis &c. Quis id neget, præscientiam conditionatorum in partem providentiæ venire? At Patres, & Theologos, aliquid, ultra quam Molina desideret, postulare, factus est Henriquesius loco, a me ante laudato ex Commentario ad cap. 4. ad litt. E. Quid vero sit istud aliud, a Theologis, & Patribus desideratum, planum tibi facit hoc ipso loco, a te producto, verbis proxime antecedentibus: *In prædeterminatis certius, apud Pa- „ tres, & Theologos, constat de prædeterminato, ex qua „ insalubriter consequuntur effectus gratiæ, perseveran- „ tia, & beatitudinis: & postea Dei cura, & „ Auxiliis, insalubriter novæ Deus in sua prædeter- „ minatione hos effectus; præscia ea visione, qua res „ videt præsentem in eternitate.*

Nullo meliori jure ad Molinae sententiam detorquetur, quod habet idem Auctor, cap. 14. §. 8. ubi docet, æquale auxilium externum, duobus hominibus datum, majus moraliter censendum esse in eo, qui re ipsa convertitur, quia ei ex specialis providentiæ opportune collatum est. Non enim idcirco putat, auxilium illud externum, tametsi moraliter majus, re ipsa efficacis evasurum, nisi voluntas majorum interiorum auxiliorum efficacia determinatur. Hypothesim quippe ponit duorum hominum, quibus æqualia externa auxilia præsto essent, (exempli gratia, eadem concio, utriusque auribus insonans, quæ certe plus eum externe moveret, qui sublimiori ad momenta percipienda valeret ingenio) non quibus itidem æqualia interna auxilia conferrentur. Immo inæqualitatem interiorum auxiliorum certo ponit; cum ejus, qui, audita concione, præ altero convertitur, voluntatem, melius a Deo preparatam, fateatur. Sibi autem, ut cap. 5. §. 5. sermonem intitutur de duobus hominibus, quibus æqualia auxilia, tum interna, tum externa, præsto forent, quorum unus converteretur, non item alter; hypothesim hæc, uti possibilem, non agnoscit; sed ea dumtaxat, ex impossibili posita, quid de iis auxiliis sentiendum esset, inquit: *Si datus, inquit, duobus hominibus equali „ auxilio, ex parte potentie, STARET, unum operari, „ altero non operante &c.*

At illud supinitatem, & osecitantiam, qua tuum Henriquesium lecturasti, præ cæteris prodit, quod tanquam Molinae propitium excoribus ex §. 7. capitis 14. Sane non tollitur usus nostræ libertatis ex eo, quod Deus, tanquam causa remota, providens actum nostrum; ita nec tollitur ex eo, quod in executione Deus, tanquam proxima, auxilio efficaci preveniat voluntatem nostram; id enim præstat, suavitèr alliciens, & proponens opportune, & debite objectum. Nempe, ut video, rejectam ab Henriquesio, uti & a Molina, internam preventientis gratiæ efficaciam, existimasti, ob id unum, quod Deum voluntatem prevenire dixerit, suavitèr alliciendo, & objectum opportune, ac debite proponendo; quæ qui gratiam se ipsa efficacem admittunt, Deum & suavitèr allicere, & objectum debite proponere, pernegarent. Nec advertis, H. Hen-

Henriqueium, quem Molina propitium ostendere faragis, contra Molinam iis ipsis verbis data opera, disputare: quodque deterius est, antecedentem periodum refecas, qua id ille aperte denunciatur: *Quidam Theologi, inquit, ille, timent admittere auxilium Dei efficax, quod preveniat consensum nostram voluntatis. At sane, ut non tallitur usus etc.* Horum porro Theologorum nomine Molinam intelligi, est per se satis evidens sit, denunciat nihilofecius ad marginem littera T., hos ipsos Theologos esse, monens, qui supra §. 5. littera C. citati fuerant, nempe Corduba lib. 1. quest. 55. dubio 10. *Molina Concord. quest. 14. disp. 12. quest. 23. art. 4. disp. 1. mem. 6. & in Appendice ad Concordiam ad 3. objectionem circa disp. 38. qui & stat sibi severè Scripturam, Patres, & Concilium Tridentinum, sess. 6. cap. 5. & can. 4. Molinam igitur impetit hoc ipso loco, quem Molina propitium iactas; idque sibi vult Henriqueium, Gratiam suapte natura efficacem, qualem Molina timuit admittere, ne libero derogaret arbitrio, libertatis usum minime tollere; quia eius efficaciam non obest, quin & Deus suaviter moveat, & obiectum, ut indifferens, voluntati proponat. Quo capite gratia se ipsa efficacis, a Divino lumine, quo beate mentes Deum vident, longe distat: de quo propterea subiungit Henriqueius: *Necessitatur autem voluntas, si Beato, Deum necessario diligenti, proponat Deus eadem visione evidens præceptum; eo instanti statim implendum: quia tunc evidenter iudicat prædictæ, esse medium necessarium, ad consequendum, aut conservandum finem beatum, quem possidet.**

Num autem a physicis prædeterminationibus penitus, ut loqueris, abluerit Henriqueius, quoties rationes expendit, propter quas bona opera Deo, tanquam primo Auctori sunt tribuenda; ex laudatis paulo ante testimoniis nosse potes; ubi Divinas prædeterminationes, & præmotiones agnoscat, omnem futurorum conditionatorum scientiam anteverentes, quibus positus, hominem in sensu composito moveri, necesse sit.

Libuit de Henriqueii sententiâ, libris editis expressa, dicere paulo fufius, ne cui forte mirum videri possit, Societatis Professore sic affectum animo, iisque documentis imbutum, binas contra Molinam Censuras, quarum fragmenta in Historia recitavimus, edidisse; alteram quidem anno 1594. mandante supremo Hispaniarum fidei Quasitore, alteram anno 1597. iubente Clemente VIII. Pontifice Maximo.

Quot tu, Deus bone! diverticula quæcis; quot flexiones, atque anfractus, ut domesticus adversus Molinam suffragii auctoritatem eludas? Horum ego non pauca, ab aliis Historiæ Oloribus ante quastra, præclufi lib. 1. Hist. cap. 17. necnon Tom. 1. Gallicæ Defensionis, quest. 1. cap. 7. & Tom. 2. art. 23. mutamque fabularum repugnantiam ostendi. Tu eadem ferme nenas recinens, priorem Censuram anno 1594. adornatam, cujus fragmentum Lemofius litteris tradidit, eo brevi temporis intervallo editam, ais, quo Henriqueius, relicta Societate, novæ apud nos professionis tyrocinium posuit, ut nobis ea dote gratificaretur novus hospes: est, mutato subinde consilio, pristinos latus repetierit.

Verum, ut mittam interim, te cum illo tuo fabularum præcepto aperte pugnare, qui utramque Censuram ab Henriqueio editam posuit, quo tempore cor suam ederet, ac de dimittenda Societate deliberaret: seu ut ipse gallice scribit: (1) Il

les fit dans le plus fort de son chagrin, dans le temps, qu'il consuloit a quitter les Jesuites, pour entrer dans l'Ordre de S. Dominique: die, amabo te, unde habes, Henriqueium hoc ipso anno 1594. apud nostros tyrocinium posuisse, eoque paucorum mensium spatium censuram adornasse? Certe, si de eius adverbia fortuna vera narras, lib. 1. cap. 14. perspicuum est, eum non nisi anno 1595. aut etiam 1596. ad nostros accedere potuisse, longo post priorem Censuram editam intervallo. Ais enim, Henriqueium, cum, anno 1592. desinente, Tomum secundum Theologiae moralis cepisset prælo subicere, a Claudio Aquaviva Præposito Generali iustum, superfedere, ad Congregationem generalem, contentum præcepto, provocasse. Addis, eum a Congregatione generali Romam venire iustum, penitentiae signa dedisse; iter tamen differri aliquantulum petisse, dum Salmantica componeret res suas quasquam; atque interim, ut ad binos menses ibidem subsisteret, a Vallisolei fidei Quasitoribus impetrasse. Subjungis, citatum sæpe deinceps tum a Claudio, tum a Congregatione generali, iter Romam novis semper prætextibus eluisse, donec inclusus primum, deinde, ubi se dedit occasio in Italianam navigandi, Romam cum fido comitatu properare, coactus est: ubi etiam ad Patrum Prædicatorum Ordinem transire permissus, brevi mutato consilio, ad Societatem reversus est. Hæc tu loco laudato. Jam rogo te, rationes temporum subducamus, ut recantate fabulæ vanitas in propatulo sit: Congregatio generalis, ad quam provocavit Henriqueus, non alia, nisi quæ proxime facta est, intelligi potest; quinta nimirum, anno 1594. celebrata, quæ Romæ die 4. Novembris exordium habuit. Hujus ergo ad Henriqueium transmissa mandata, ut Romæ sifteret sese, est ab ipso. Conceptorum initio data fingeretur, non nisi cadente Novembri, aut etiam Decembri ineunte, denunciari potuerit Viro, Salmantica degenti. En primum. Facta mandati denunciatione, duorum mensium inducias a Vallisolei Quasitoribus impetravit; atque ita ad initium circiter Februarii anni 1595. de eorum licentia Salmantica subiecit. En alterum. Binis elapsis mensibus, iteratas sæpius Præpositorum citationes, Roma missas, novis semper prætextibus eludit: quibus profecto circulationibus novæ mensium aliquot moras traxit. En tertium. Post hæc mansit, ut scribis, inclusus, donec se daret occasio in Italianam navigandi. quo casu dierum aliquor, aut etiam hebdomadam tarditas allata est. En quartum. Tum suscepta Romam versus cum fido comitatu navigatio fuit, quæ mensem ad minimum tenuit. En quintum. Substitit subinde aliquo tempore Romæ, ut causam suam ageret, & ad Prædicatorum Ordinem transivisset veniam impetraret. En sextum. Demum voti compos, Roma Salmanticam novum iter intendit; non utique pegasto volatu, sed iustis diariis, domique redditus, quod animo intenderat perduxit ad exitum, est factum munierit constantia. En ultimum rationum caput. Porro horum omnium si deduxeris, annum, ac eo amplius elapsum invenies, ab indicia Congregatione generali, ad quam provocaverat Henriqueius, donec is ad nostros accederet. Unde facile colligas, tentatam ab Henriqueio metamorphosim, non nisi cadente anno 1595. aut etiam ineunte 1596. contigisse. Atque ita Censuram, anno 1594. concinnatam, non eo brevi temporis intervallo editam esse, quo relicta Societate, novæ apud nos professionis tyrocinium posuit.

Acco-

Accedit ad eisdem signum constatationem Lemofii suffragari, qui, ut Henriqueii Censuram altius exaggeret, Molinam librum a viro etiam Societatis Professore inultum observat. Inepte sane, ne dicam infulse, si quo tempore Censuram distinxit, non Societatis, sed Institutum Dominicanum Professor fuisse. (1) Unum tamen silere non possum, adeo Librum istum, cum primum excusus fuit, piovum Theologorum animos offendisse, ut etiam ex Societate ipsa Doctor Henricus Henriqueus, adversus eum copiosam Censuram protulerit; in qua post recensitas ex eo quinquaginta duas assertiones, quævi qualificatione notatas, quas ob brevitate omittimus, quia eas, & alias in toto horum operum processu consutabimus, generali censura totum librum sub his verbis qualificat etc. Ecquid, queso, necesse est, breve illud temporis intervallo definire, quo substitit inter nos Henriqueius, ut edita contra Molinam Censura epocham figamus; quasi ad eam, dum degeret apud suos, concinnandam incensus suoapte genio non esset, qui capitalia Molinæ dogmata tam aperte editis libris infectata est, antequam de suo ad nostros accessu cogitaret; quique annis ante viginti, quam librum ederet *De fine hominis*, adversus suborientes novitates depugnaret; ac ne suis admitterentur, pro vitili admissus est? Hæc disputatio, inquit ille, de præsentia futurorum conditionatorum, a nobis ante viginti annos excitata est; & contra votum nostrum, suscepta est sententia in Italia, de qua in textu. Lib. de fine hominis, cap. 4. §. 1. in Commentario, litt. C.

Jam Henriqueium non suo ipsius ductu, (quæ altera, ut fidem imminuas, exceptio tua est) sed mandante supremo Hispaniarum fidei Quasitore, censuram suam adornasse, liquet ex Thoma de Lemos, Henriqueium iis Theologis adnumerante, qui sententiam de laboris ea ætate controversis, scripto dicere iussi fuerant, Tom. 4. Panoplie lib. 4. part. 2. tract. 3. cap. 34. n. 600. *Cum quibus confenserunt sapientissimi Episcopi, & alii Theologi doctissimi, qui a principio hujus controversie, sum in hac causa consulti iudicium protulerunt, quorum Censuras apud nos habemus. Fuerunt autem insignes isti Episcopi, & Theologi doctissimi Dominus Pacheco, tunc Episcopus Segovienfis. . . . Ex Societate Jesu Doctor Henricus Henriqueus, qui per sexdecim propositiones materiam istam dirigit, & perdoctè ostendit, dari auxilium ex parte Dei efficax, sine motionem vere, & physice prævenientem, cum qua optime libertas arbitrii consistit. Perspicuum etiam istud est ex prælatione alterius Censuræ, anno 1597. jubente Clemente VIII., adornatam, eique manus traditam, liquet, iudicium de scripto tulerint delegati Romæ Censores anno 1598. uti nec de aliis tam multis, quas a Viris Italici eruditissimas editas constat, lata de scripto sententia pronunciantur.* Rurum vero mihi magis, quæa Romachum movet arguta illa, ac te digna animadversio, qua secundam hanc Henriqueii Censuram a nostris tam oscitantè suppositam fingis, ut ne quidem Auctoris nomen accurate expressum sit in epigraphæ, quam ego in hunc modum representavi: *De mandato SS. Clementis Pape VIII. pro sacra Congregatione scribebat Henricus Henriqueus*; quandoquidem suum ipse nomen, ut ais, non terminabat littera S. sed more Hispanorum, littera Z. Quam argute, quam ingenuose! Agendum, Disputator egregie, parique subtilitatis acutius, suppositiois, ac dolose fabricationis, arguto tot illa Provinciarum vestrarum instrumenta, Lib. 1. cap. 22. Historiæ meæ recentissæ, quorum in singulis minutias illas a me neglectas observabis; nominique Hispanorum Gallico more a me transcripta depre-

cas, repugnantibus licet exemplis, in Romano Augustinianum tabulario aservatis. Quodque lepulum magis, illud maxime suppositionis indicium profers, quod dati de priori edenda Censura mandati mentionem fecerit: adeo te supremi Quasitoris mandatum male torquet. Nec advertis, te, quod modo perfracte negas, tergiversantem licet, ac pene nolentem, concessisse lib. 1. cap. 4. ubi datas Henriqueio ab Inquisitoribus Vallisolei duorum mensium inducias narras, ut *Molina propositiones colligeret, nota Theologica dignas*. Ut quid autem dictorum immemor, nullo modo mandatum Henriqueio datum obtendis, prioremque Censuram nullius, nisi propriæ spontis impulsu, editam putas? Nempè quod hæc, inquis, cum reliquis Academicarum, ac Theologorum Censuris, supremi Quasitoris iussu editis, Romam transmissa non sit; nec de ea Romana Congregationis Consultores, uti de reliquis, iudicium tulerint, dum anno 1598. transmissa ex Hispania Censuræ ad examen vocatæ sunt. Bellum sane! Quæ itaque forte in Augustinianum tabulario, una cum reliquis Congregationis de Divinis Auxiliis instrumentis, locum habet, si Romam una cum cæteris transmissa non est? Nec me mutuum sollicitum habet, quod a te venditur, Notarii, Censuras Romam advectas, tacita Henriqueiana, percententis testimonium; quod & spurium omnino, & anachronismus infartum, & de Indultra fabricatum, evincam capite 13.

Quaquam tamen, si Henriqueii Censuram, nec Romam a supremo fidei Quasitore transmissam, nec cum cæteris examinatam a Consultoribus, fateremur; non illico Quæstiois iniussu facta dicenda esset; cum alia, nec cum cæteris miteretur; rationes obtendi possent: seu quod eam ipse, Romam veniens, tulisset secum; seu quod, secuto paulo post eus ad nostros accessu, inconstantis animi vitium incurrerit, nec satis in Societatem bene animatus Quasitoribus visus sit, ut eus in Molinam districtæ censuræ ratio haberetur. Quæ de causa, si bene consilio, subinde factum, ut, ea ex omnium animis avulsa suspitione, dum reversus ad suos quietus Tibure ageret, eisdem de agitatis Romæ questionibus mentem reficere voluerit Clemens VIII. anno 1597. cui uti morem gereret, Censuram alteram, cuius fragmentum representavimus, adornavit; prioremque Salmantica editam, ne sententiam cum veste mutasse videretur, ratam habuit, novisque momentis confirmavit. Esti nec de hac ultima, quam, jubente Clemente VIII., adornatam, eique manus traditam, liquet, iudicium de scripto tulerint delegati Romæ Censores anno 1598. uti nec de aliis tam multis, quas a Viris Italici eruditissimas editas constat, lata de scripto sententia pronunciantur.

Rurum vero mihi magis, quæa Romachum movet arguta illa, ac te digna animadversio, qua secundam hanc Henriqueii Censuram a nostris tam oscitantè suppositam fingis, ut ne quidem Auctoris nomen accurate expressum sit in epigraphæ, quam ego in hunc modum representavi: *De mandato SS. Clementis Pape VIII. pro sacra Congregatione scribebat Henricus Henriqueus*; quandoquidem suum ipse nomen, ut ais, non terminabat littera S. sed more Hispanorum, littera Z. Quam argute, quam ingenuose! Agendum, Disputator egregie, parique subtilitatis acutius, suppositiois, ac dolose fabricationis, arguto tot illa Provinciarum vestrarum instrumenta, Lib. 1. cap. 22. Historiæ meæ recentissæ, quorum in singulis minutias illas a me neglectas observabis; nominique Hispanorum Gallico more a me transcripta depre-

hen-

(1) Questions importantes chap. 3.

(1) Tom. 1. Pan. traç. 6. cap. 2.

hendes, ut Suares, Vasques, Gonzales, Alvares; nou autem Suarez, Vasquez, Gonzalez, Alvarez. Age, inquam, & in te metipsum etiam stilum verte, quod ea postrema litteræ mutatione Sodalis illius tui nomen ne accurate quidem expresseris Lib. 1. cap. 14. ubi ocellis, & amplius occurrit Henriques, & Henriquefus, non Henriquez, & Henriquezius.

CAPUT VIII.

De Mariana, & Vasquio, in eundem Molina oppugnationum numerum ascitis.

SEQUITUR in eodem Molina oppugnationum Indiculo Joannes Mariana, quem pari contra novitates ejus zelo pugnavisse, dixi, in Opere de regimine Societatis, quod, pondentibus Congregationibus Auxiliorum, edidit. Ibi quippe de inordinato novitatis amore lib. 4. cap. 4. sic habet: *Ab hoc præclaro fonte emanant illi turbines, & procellæ, quibus nostra Societas tentavit exagitare sapientissimos Dominicanos Famulæ Theologos, quos potius venerari debebat, ut purioris doctrine Antistites, quam sequi hostem Ludovici Molina commenta. Cujus Viri libellus ab examine Theologorum sacra Inquisitionis delatus fuit Romam, ubi modo Liberum Arbitrium, acerrime contra Gratiam pro palma luctatur. Quæ verba, subiungentem, a Gonetio, magni nominis Theologo, in Apologia Thomistarum art. 6. jam pridem laudata, nuper Illustrissimus Rhenensium Archiepiscopus in sua adversus Molinianas assertiones Censura, non mediocriter extulit, ut Molina novitates domesticæ testimonio exagitet. Sic ego lib. 1. cap. 13. editionis primæ, nunc 17.*

Quantum ad hæc amaroris, ac fellis effundis! Insciam, malam fidem, audaciam exprobras, stupore ficto, ac simulata admiratione. At da veniam; si dicam, exprobras pinguiori incertia, peiori fide, audacia non ferenda. Et sane mala fidei mea specimen ponis, quod Opus de regimine Societatis, seu, ut proprius titulus præfert, *De erroribus in forma gubernationis Societatis Jesu*, a Mariana editum dixerim, pondentibus Congregationibus Auxiliorum; hoc est, ante annum 1607, cum non ipse, sed Societatis, ut ais, amuli anno duntaxat 1625, illud ediderint. Atqui hoc ipsum est, in quo pessimæ fidei tuæ specimen edis, qui, ut in ambiguo verbo edidit ludere possit, (quod perinde & componere, & publicare Grammaticis sonat) id a me eo verbo negatum fingis, quod hac ipsa columna, post decem circiter lineas, semel, iterumque professus sum, nempe laudatum librum, nonnisi post Marianam extinctionem, anno 1625, typis datum esse: & post pauca; excusum esse Buvargale per Joannem de Boidaux 1625. Quod quidem ex aliorum fide a me eo loci dictum, sequenti columna confirmavi, Procrastinam inquam, ad obitum usque Marianæ hujus Operis editionem, ex officio charitatis in ipsum Auctorem, ne quid scilicet Societate incommodi illi accideret. Hoc igitur unum volui priori illa mea, quam dolo malo cavillaris, loquendi formula. Opus de regimine Societatis, a Mariana calamo editum, seu compositum esse pondentibus Romæ congressibus; et si nonnisi post obitum, anno videlicet 1625, publicatum, typisque editum fuerit. Quis vero sub eo, quem notavi, rerum eventu compositum librum neget, in cuius quarto capite mentio incidit litis, adversus Molinam intentatæ, tanquam pondentis etiam tunc, ægrisque animis agi-

tate Toda, vida anda el pleyto, y se trata con grande porfia?

Inscitæ notam aspergis, quod librum 4. de regimine Societatis indicam; cum non in libros scriptio illa divisa sit, sed in viginti duntaxat capita distribuitur. Quasi vero id neficias, scientissimum caput, Marianam a me quidem, sed non ex me ipso, verum ex Gonetio, quem distincte notavi, fide laudari; a quo Liber 4. de regimine Societatis cap. 4. laudatus est. Quæ etiam citandi ratio a Piccinardo servata fuit Tom. 3. Approbationis doctrinæ S. Thomæ, libro 6. quæst. 2. art. 1. Unde colligere potui, hunc Marianæ Tractatum, una cum aliis ejusdem Auctoris Opusculis, uno, eodemque volumine editum esse, in quo quartum teneret locum: eaque de causa factum, ut a multis Liber quartus de regimine Societatis citaretur; non quod in plures libros tractatus ille diatributus esset; sed quod quartum eo in ordine locum occuparet.

Verum ad graviora nos vocas. Verbo, inquis, quæ ex capite 4. Mariana citavit. Historicus, nec illo loco, nec in toto tractatu reperitur. En imposturam primam. Hic verum dicis, Eleutherii, etiam nolis. En certe imposturam: non utique meam, aut Gonetii, sed tuam. Quæ enim laudato loco reperiri, perfractæ negas, totidem apicibus in Latina Mariana versione, quam unam Gonetus poverat, contingunt. Nec tu fraudem ostendere sine fraude potes; ambiguo scilicet, & æquivoco verbo ludens, ut id in Mariana legi simpliciter neges, quod fin minus Hispanico, ac certe Latino Mariana Codice legitur. Et quidem quo ego tempore Historiam scriberem, nondum, reperto Mariana exemplo, nedum Hispanico, sed nec Latino, nec Gallico, ejusdem Latinum fragmentum, ex Gonetio, magni nominis Theologo, recitare, satis habui; nec quid ab Hispanico textu Latina versio differeret, quibusve verbis, aut phrasibus redundaret, expendere licuit. Fuimus tamen ambo optima fide; ego quidem Gonetum, quem laudabam, ad verbum exscribens; Gonetum Latinam, quam habebat in manibus, versionem fideliter representans. Nunc, quia, Superis bene fortunantibus, Hispanicum exemplar Bononiæ apud nostros legere contigit, (1) cum illic Comitiorum generalium occasione diversissem; Hispanicum tibi fragmentum subjiciam paulo prolixius; totamque tibi tuorum scenam, quandoquidem provocas, explicabo; ut intelligas, Gonetum non imponendi animum habuisse, sed mitius, & humanius vobiscum egisse, qui, paucis ex Latina versione delibatis, crudiora silentio prestitit, quæ cum aliquo Societatis Præpositorum delectore conjuncta sunt.

Itaque capite 4. Hispanici Exempli, cui titulus est, *De las rebueltas entre los nuestros*, hoc est, *De turbis inter nostros excitatis*, sermonem habens Joannes Mariana *De ratione studiorum*, jussu Præpositi Generalis a selectis Theologis meditata, hæc scribit: *Lo que resultó, fue, que las Provincias se refintieron, la Inquisición se interpuso, y quedó el Libro Así la libertad de opinar sin embargo se ha quedado, y se sta en su punto. De que han resultado muchas, y ordinarias rebueltas con los Padres Dominicos, a quien devíamos antes reconocer por Maestros. No dexar de confesar, que aquellos Padres pusieron temple en rigor, ni que los nuestros han dado algunas ocasiones, que todo se pudiera escusar. Ni quiero baxer memoria de todas estas diferencias, que han sido muchas. Solo diré, que con ocasión de un libro, que imprimió el Padre Luis de Molina sobre la Gracia, y libre alvedrio, a quel-*

los Padres se alteraron grandement, acudieron à la Inquisición, y de allí à Roma, donde toda via anda el pleyto, y se trata con grande porfia: que quando se saltasse con victoria, que todo está en duda, avrá costado muchos millares, y inquietud de muchos años. Averdome, que persona, que tenia alguna noticia destas cosas, avisó a los nuestros con tiempo, no se embarcassen, ni empuñassen mucho en este negocio, por temer lo que ha sucedido: No presá nada. Por que el General se halló prendado de la licencia, que dió para imprimir aquel libro, y de acá gente moça lo alanzava todo. Quiso la desgracia, que assi el Asistente en Roma, como el Provincial acá (por qui en todo passa) eran personas sin letras, calaronsele gente de aquel humo, y brio. Ha resulado lo que se ha visto, y lo que resulará siempre, que por este camino se procediese de gente brava, y Superiores sin letras. Quod ita Latine dicas. „ Eum in locum ac statum rediit res, „ ut dolorem inde Provincie hauserint, Senatus „ Inquisitionis irarcesserit, librumque veterit. . . . „ Ita mansit sentiendi libertas, quocumque amob „ to impedimento, eodemque, ac antea, loco „ est. Inde ortum habere permulta, ac frequen „ tes rixæ cum Patribus Dominicis, quos potius, „ uti Magistros, venerari debebamus. Dicam ta „ men ingenue, potuisse Patres illos severitatem „ suam moderari; ac nostros vicissim occasionem „ aliquam præbuisse: Quæ omnia excusationem „ habere poterant. Nolim hic in memoriam re „ vocare tot illas rixas, quæ certe permulta fue „ re. Unum notabo. Patres illos, occasione Li „ bri, a Patre Ludovico Molina editi, de Gra „ tia, & Libero Arbitrio, vehementer efferbui „ se, Inquisitionis Senatum adiiisse, ac inde Ra „ mam; ubi etiamnum illis agitur, ardentique stu „ dio procuratur. A qua licet victores emerge „ remus, quod dubium tamen, & ambiguum est, „ multis aureorum millibus stabit impensa, mul „ torumque annorum molestiam relinquet. Ven „ nit in memoriam, Virum quempiam, (1) cui „ ista perspecta erant, nostros monuisse, ne se al „ tius eo negotio implicarent, involventaque; „ quod exitum penserent: nec tamen quidquam „ proficere. Quia Præpositus Generalis, conce „ sa edendi libelli facultate, obligaverat se se; „ cunctaque plana, atque facilia spondebant e no „ stratis junioribus. Incidit infeliciter, ut qui „ Præposito Generali aderat Romæ, quique Pro „ vinciam istam moderabatur, quorum arbitrio „ cuncta pœdebant, illiterati homines essent, in „ ea munia intrusi ignarorum perinde, ac præ „ servidorum hominum arte, ac prehensatione. „ Notum, quid evenerit: scilicet quod evenire „ necesse est, quoties præservidi, & illiterati Mo „ deratores negotia nostra procurant.

En tibi, siquidem optas, Hispanici Exempli distincta verba, crudiora, ac duriora multo, quam quæ tibi ex antiqua versione Latina post Gonetum nostrum recitavimus; quæque, Marianam procul a domesticis Molina placitis abiiisse, luculentius evincant. Quandoquidem tot illa Dominicanos inter, ac Socios, orta diffidia, non aliunde, quam ex suorum sentiendi libertate, enata, profiteretur; suosque longe melius facturos censet, si Dominicanos, uti doctrinæ Magistros, venerati essent; nec tantam in tuendo Molina pecuniæ viam insumpissent, torque annorum molestiam devorassent: doleatque, Præpositum Generalem folo honoris stimulo in hanc litem ingressum, quam incepti Hispaniarum Professores, ignarique, ac turbulenti Provinciarum Rectores intenterant.

Priori impostura alteram nefcis. Tuam ne, an meam, videamus. Adidit Historicus, inquis, verba, quæ ex Mariana falso allegavit, nuper Illustrissimum Rhenensium Archiepiscopus; in sua adversus Molinianas assertiones Censura, non mediocriter extulisse; cum nec verba illa, nec sensum Illustrissimus habebat in suo Decreto. En imposturam secundam. Sic sane, en imposturam secundam, & quidem omnium audacissimam: ac non Historici, sed Eleutherii, recitatum a me Mariana fragmentum, nec verbis ipsis, nec sensu in eruditissimi Archiepiscopi Decreto contineri, effluentis; hocque uno nugaci æquivoco lectors deludentis, quod non Latinam, uti Gonetus, sed Gallicam versionem expresserit Vir Illustrissimus: cum tamen decuplo plura, ex Gallica versione recitaverit, quæ Latinæ versionis redundanciam longe, multumque superant. Audi itaque, siquidem concitas, Præfulem Illustrissimum, Molinam tuam, eique Theologos adherentes, Mariana testimonio deficiantem; ne imposturam obicere pergas impostor ipse, lectorisque, quibus ignotum Decretum est, verbis ambiguis, & æquivocis ludas.

Jean Mariana (Decreto verba sunt pag. 66. & sequentibus) qui vivoit du temps des Congregations de Auxillis, nous apprend les fautive suites de la licence, que Molina, & tant d'autre se sont donné d'enseigner leurs vissions. Nous rapporterons ses paroles selon une traduction ancienne, qui nous a paru exacte, & qui est du temps de l'Original. Mariana dit donc au chapitre 4. „ que de la li „ berté d'avoir ses propres opinions font procé „ dees plusieurs, & ordinaires broüilleries avec „ les Peres Dominicains, qu'il declare, que les „ Jesuites avoient mieux fait de reconnoître pour „ Maîtres. Il ajoute, qu'à l'occasion d'un li „ vre, qu'écrivit le P. Molina, sur le sujet de „ la grace, & du franc arbitre, ces Peres s'al „ tererent bien fort, recoururent à l'Inquisition „ & de là à Rome, la où il dit, qu'encore au „ temps qu'il écrivait, le procès continuoit, & se „ menoit avec beaucoup d'opiniatreté, & de pas „ sion; & que quand bien les Jesuites en forti „ roient victorieux, ce qui estoit encore fort dou „ teux, il leur auroit toujours coûté plusieurs „ milliers, & l'inquietude de plusieurs années. Il „ me souvient, poursuit il, qu'un personnage, „ qui avoit quelque connoissance de ces choses, „ donna avis aux nostres, qu'ils se gardassent de „ s'embarasser, ou s'engager bien avant dans cet „ te affaire. Il avoue, que cela ne servit de rien, „ & il en apporte la raison, qui est, que le Gen „ eral se trouva engagé, à cause de la permis „ sion, qu'il avoit donnée d'imprimer ce livre; „ qu'en ces quartiers de deça, (c'est en Espagne „ qu'il écrivait) les jeunes gens faisoient le tout „ aisé; & que le malheur voulut, que tant l'As „ sistant à Rome, que le Provincial en ces quar „ tiers, par les mains desquels tout passa, estoient „ hommes sans lettres, fourés dans ces charges „ par gens de mesme humeur, & gaillardise. Il „ en est arrivé, dit il, ce qu'on a veu, & ce „ qui aussi arrivera toutes les fois & quantes qu' „ on procedera par cette voye de gens bouillans, „ & de Superieurs sans lettres. „ Hæc, aliaque non pauca Vir Illustrissimus laudato Decreto. Quæ si cum pauculis illis versionis Latine verbis, a me in Historia laudatis, mutuo conferantur, nemo non sentiet, quam plura ille, crudioraque ex Gallico exemplo recitavit: nemoque cavillationis tuæ insulfitatem non ridebit, qui in una geminæ versionis, qua uterque uti sumus, discrepantia ludis, ut me falsa mecitissimo Præfule

(1) An. 1706. mense Majo.

(1) Card. Baronius.

fuli tribuisse, mentulari. Hoc enim ego, latine cum scriberem, ex Latina versione fragmentum retuli; quod ille, gallice cum scriberet, ex Gallica versione capitavit.

Tertiam capitularis, ut vocas, audacia culpam in me confers, quod Archipræsulis Decretum latine reddens in Appendice, textum præter ejus mentem adulterarim. Cujus geminum specimen exhibet: Primum in iis Gallicis verbis, ex Mariana ab Archipræsule recitatis: *de la liberté d'avoir ses propres opinions sans procéder plusieurs, & ordinairement avec les Pères Dominicains, qu'il déclare, que les Jésuites auroient mieux fait de reconnoître pour Maîtres.* Quæ ego, antiquam versionem Latinam secutus, ita reddidi: *Ex inordinato novitatis amore emanarunt illi turbines, & procellæ, quibus nostra Societas tentavit exagitaro sapientissimos Dominicanæ familiæ Theologos, quos potius venerari debebat, quam sequi hesteria Ludovici Molina signata.* Alterum in aliis proxime sequentibus verbis specimen ponis: *Il ajoute, qu'à l'occasion d'un livre, qu'il écrivit le P. Molina sur le sujet de la grâce, & du franc arbitre, ces Pères s'altèrent fort bien, recoururent à l'Inquisition, & de là à Rome.* Quæ ita in Latinum verti in priori editione. *Addit idem illo, occasione Moliniana Concordiæ, a suis certatum acriter, ac primo quidem ad generalem Hispaniarum Inquisitionem provocatum, subinde Romam.* Lepide tu vero audaciam mihi exprobras, verbosque ad modestiæ speciem flexis, reverentiam in meritissimum Archipræsulem simulat, quem audaciori petulantia traducis hoc ipso loco, tanquam ex Mercurii Jesuitici rejiciant, damnatisque Genevensis officina quisquillus Pastoralis Decretum confarcinasset.

*Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Præsul eger.*

Ecquæ vero tanta illa audacia est, quam exprobras? Primo quippe loco, Gallicæ versionis verba ab Archipræsule data, Latine, quæ passim volitat, versionis verbis reddidi; haud satis tunc temporis exploratum habens, utra ad Hispanicum Autographum accederet propius: addita interim ad marginem nota, quæ Præsulem Illustrissimum Gallicam versionem secutum monui. Sed quid tandem mali, cum idem omnino sensus redeat? Si enim Jesuitis melius erat, Dominicanos doctrinæ Magistros agnoscere, ut habet Gallica versio; certe illos potius venerari debebant, quam sequi hesteria Ludovici Molina signata, quæ tanto illi zelo infestabantur, quæque tot illis turbibus initium dederant: idemque omaino est Dominicanos doctrinæ Magistros agnoscere, ac Molinæ commentis nuntium mittere. Locus alter a me primum bona fide redditus est, quantum tunc temporis licuit. Cum enim Mariana textus, non continuata serie, sed per disjuncta fragmenta ab Archipræsule recitetur; eaque ab antecedentibus avulsa periodus dubium relinquit, quinam ii Patres essent, quos occasione Moliniana Concordiæ effervescentes representat; an qui tanto partes ejus ardore tuerentur, an qui incensus zelo animis oppugnabant; bona fide creditum est, priores illic a Mariana notari, quos paulo ante turbarum fatores effinxit. Quare Gallica verba, à l'occasion du livre qu'il écrivit le P. Molina, ces Pères s'altèrent fort bien, ita latine reddidi, *Occasione Moliniana Concordiæ, a suis (videlicet Jesuitis) certatum acriter:* Cum tamen integrum Mariana textum consulenti perspicuum fiat, non Jesuitas illic, sed Dominicanos indigitari, quos Inquili-

(1) In Stat. cap. 3.

tionis senatum adisse notat, ac subinde Romam. Quæ de re plenior sermo erit cap. 13.

Sed favit, inquis, Molinians opinioibus Mariana, ac laxiora etiam scripsit, docuitque libro *De morte, & immortalitate*, quem in ipso Controversiarum Romanarum æstu elaboravit, quo tempore tractatum de Societatis regimine scripsisse, dicitur. Utrumque falsi convictum habes lib. 1. Hist. cap. 17. ubi librum hunc, nonnisi elapso inde biennio, editum ostendi, nec sine gravi interpolationis, ac vitiationis suspicione. Novum nunc, quod mihi ipsi nolens ingeris, admisse fraudis, & interpolationis specimen deprehendo: Nimirum, ut amice nos mones, liber *De morte, & immortalitate*, tamen anno duntaxat 1609. Coloniae publicatus, licentiam nihilominus Præpositi Provinciae Toletanae in fronte præfixam habet, anno 1606. Matrini datam die 24. Novembris; quæ fidem facit, tractatum hunc una cum reliquis, eodem volumine comprehensis, jam tunc a domesticis Censoribus approbatum esse. Erat igitur jam ante id temporis elucubratus. Et tamen nonnulla tractatu illo continentur, quæ nonnisi post annum 1607. scripta sunt; quæ profecto illud est, quod lib. 3. cap. 8. legitur, ubi, geminæ scholæ narrata sententia, ita subditur: *Ipsæ Romanæ Pontifex appellatus jam aliquot annos, ea controversia distractus, nondum in pace litigantes posuit, nos decreto promulgato.* Quibus verbis Pauli V. Rescriptum anno 1607. sub finem Augusti promulgatum indigitari, nemo non videt; quo sane litigantes nondum in pace posuerat; sed judicii duntaxat opportuno tempore denunciandi fidem dederat. Hinc alterutrum inferre, necesse est: aut diem iusto antiquiorem, fide non bona, ac de industria, approbationi adscriptam esse, ut liber anno 1609. Coloniae primus impressus, anno tamen 1606., ac pendentibus Congregationibus Auxiliorum ab Auctore scriptus, ac prelo paratus videri possit; aut certe post datum a domesticis Censoribus suffragium, varia libro, antequam typis subiceretur, infarsa esse, Molinæ novitatibus consentanea, & ab Auctoris mente penitus aliena. Quod utique eo facilius tentari potuit, quod procul ab editionis loco degeret Mariana, immo ab Excellentissimo Duce de Lerma, summo Hispanicarum Monarchiæ Administrato, carcere teneretur ob alterum, & ab eodem, liberum adversus Monetarium Judicium Curiam. Teque rerum domesticarum plane radem aut prodis, aut fingis, qui, semoto joco, nobis occentas, non potuisse librum hunc, Auctore vivente, impune corrumpi, quin de attentata interpolatione palam expositularet. Quis enim nesciat, ita pro imperio a Societate gestum, ex quo semel teneat Moliniana doctrinæ consilium inuit, Viroisque Theologos, qui contra forte sentissent, ad eam conditionem patienter adductos ex Religiosæ professionis instituto, quo pridem sanctum erat, ut, si peregrinæ opiniones animum subirent, (1) parati essent ad iudicium suum submit-tendum, sentiendumque, ut fuerit constitutum in Societate de hujusmodi sentire oportere? Quod in Pererio, Toledo, Bellarmino, aliisque comprobatum est.

Vasquesium quod interest, hunc nec certo, nec a me ipso Molinæ adversarium dedi, ejusve scripta, sicubi Molinæ favent, interpolata dixi; sed Francisci Macedo, Theologi præstantissimi, testimonio. Tantumque abest, ut hujus me vadem, ac prædem dederim, ut potius totum id fide ejus stare voluerim. Sit ita, necne, inquebam, penes Macedum fides esto. Interea tamen, quia teitem cum

CAPUT IX.

Inutilis Eleutherii labor in corradiendis Scholæ Thomisticae Professoribus, qui physicos prædeterminationibus bellum induxerint. Nonnullorum ex ipsis testimonia ab eodem sæde corrupta.

Est illa diu nota, & a me non semel suggillata, gratiæ se ipsa victricis oppugnationum altutia, ut, misso Theologicæ disputationis argumento, neglectaque rei summa, ex Sacris Litteris, Conciliis, ac Patribus definienda, ad Philosophicam quaestionem ferme divertant; atque, quod mirandum magis, ad illam ipsam, quæ ab instituta coram Summis Pontificibus de Divinis Auxiliis Controversia, toto cælo disjuncta est. Gratiam se ipsa efficacem, ad singulos pietatis actus necessariam, oppugnaturi, nil, nisi physicam prædeterminationem, universam, acceptam, atque ad ipsos etiam peccati actus a multis admittam, in oculis habent, quam feriant, quam eliminant. Nimirum hanc in scribendo, disputandoque solertiam adhibent, ut, eo objecto tericulamento, Philosophicarum subtilitatum rudibus horrorem incutiant; eosque, quod indignus est, per speciem oppugnandæ blasphemiam, a Divinæ Gratia professione procul avertant. Quanto inter sese intervallo distent illa duo Thomisticae doctrinæ capita, quam dispar utriusque ratio, quamve parum alterum ab altero pendeat, planum fecit Thomas de Lemos, utriusque licet dogmatibus acerrimus vindex, in Congregatione habita coram Paulo V. die 10. Januarii anno 1606. Al tertium, inquit, dicendum, nullo modo ex doctrina de physica prædeterminatione sequi, quod Deus sit causa peccati, vel quod ad peccatum physice prædeterminet. 1. Quia præst optime quis defendere physicam prædeterminationem pro actibus supernaturalibus, & ex isto capite nos cavetur ad illam defendendam pro actibus aliis facillimis naturalibus ordinis, & pro actibus peccatorum. Et ratio est, quia respectu actuum supernaturalium est peculiaris ratio, præter illam generalem subordinatiorem causæ secundæ ad primam; ob quam specialem rationem (quidquid sit de illa subordinatione generali) est constituenda physica prædeterminatio in voluntate, qua Deus faciat, illam bene operari supernaturales actiones: Quia respectu hujusmodi supernaturalium operationum; cum sint elevatissime, & supra voluntatem, illam omnino excedentes, oportet, quod Deus immuet, & determinet voluntatem ad illas: Quia illa nunquam se determinabit ad id, quod supra ipsam est, nisi ad id immuetur, & determinetur a Deo in actu primo: quod evidentius patet in voluntate peccatoris. Quomodo enim, cum sitaversa a Deo, ipsa se converteret, & determinabit ad Deum, nisi Deus prius illam ad se converteret, & vere faciat, quod se determinet ad bonum? Propter hanc ergo specialem rationem, etiam si quis teneat, voluntatem in actionibus, quæ in peccatis sunt, non determinari a Deo, etiam quatenus entitates, & actiones sunt facillime, ad quas voluntas se posse determinare, tamen in actionibus supernaturalibus astringeretur sateri physicam determinationem ad supernaturalia opera exercenda &c. Hæc ille, cui concinit piissimus Contentonius Lib. 8. Theologiæ mentis, & cordis, diff. 2. cap. 2. specul. 3. cuius verba, tamen si prolixiora, alioque scripto laudata; quandoquidem summi momenti res agitur, denuo recitabo. Illud etiam diligenter obser-vari aucto, quod licet sententia de prædeterminatione, ne ad actus naturales, atque etiam ad materia-

I
,, le

cum fastidio rejicis, illud scito, iis præjudiciis niti præstantissimi Theologi eo saltem in capite testimonium, ut qui dicentis auctoritatem despiciat, probantis momenta diluere teneatur. Is enim Societatem per annos viginti duos professus, dimissam tandem singulari affectu perpetuo coluit; ut certe ad invidiam illi confidendam locutus obtendi non possit. Vasquesii præterea studiosissimus, ejusdem præcæteris Theologis lectione delectabatur; cujus principia universa de prædeterminatione, de scientia Dei, de gratia diligentissime contulit. Quibus omnibus ad crissim exactis, in eam demum sententiam adductus est: (1) *Novissimas Patris Vasquii dispositiones non esse prorsus Germanas, sed subiectas; & quidem ab aliis, quæ dolebat, tantum virum a communi Societatis sententia recessisse, fuisse suppositas: qui pro quidem, sed imprudenti studio ducti, alienas ei sententias assuerunt, nec satis animadvertent, quantum a veris, & germanis Vasquii placitis discreparent.* Collationes etiam ea de re habuit Compluti, ac Matrini, cum clarissimis Theologis, Vasquii olim auditoribus, Ludovico Turiano, Salazario Quirino, Gaspare Hurtado, Didaco Alarcono; quibus ipse amicus, dum in Societate degeret, familiariter usus erat. Ac tandem suam illam, de vitiosis Vasquii, ubi Molinæ accinit, disputationibus persuasionem, non uti nudis conjecturis innoxiam, exponit, sed ita firmis momentis fultam putat, ut Societatis Theologos provocare, nil vereatur. *Ingenus sum, inquit, candido dico, quod sentio. Exspecto iudicium Patrum Societatis, ac in primis Complutensium, quæ vehementer amo, ac colo. Nulli eorum, studio, & officio erga clarissimum illum Theologum cessi, aut cedam. Qui me refutare vult, ei per me liceat. Sed multis est opus motivationibus, ad meas, opinor, cogitationes dissipandas. Quin tu provocantem pro meritis excipis, Eleutheri, graviaque, quæ jactat, momenta refellis, si potis es: ac non frigida tergiversatione loquaculum nobis ejusdem Franciscani Instituti Ardalionem obrudis, Petrum de Alva, multa Divo Thomæ supposita opuscula effluentem? Quorūvum ista, amabo te? Aur quid cum Vasquio Doctor Angelicus? Quid cum professore Predicatorum Ordinis adversario, sexcentis nostrorum lucubracionibus exagitato, Theologus præstantissimus, effusa in Societatem veneratione nulli secundus? Quæ est ista tanta perveritas, velle nobis imponere sarcinas ignotorum, cum nos portare nolitis antistorum? August. lib. 3. contra litteras Petilianas, cap. 23.*

Id igitur in posthumis Vasquii disputationibus contigisse, verissimum est, quod in Cardinalis Toleti Commentariis in Epistolam ad Romanos evenisse, notat Thomas de Lemos Tom. 4. Panopliæ, lib. 4. part. 2. tract. 4. cap. 34. num. 602. ubi, post recitata nonnulla Eminentiissimi Theologi testimonia, quies gratiam asseruit se ipsa, ut a Deo est, efficacem, hæc addit: *Unde quod postmodum invenitur super Epistolam ad Romanos, istis contraria sensisse, nonnisi movere debet: quia Commentaria illa post illius mortem in lucem edita sunt, cum jam Romæ apud Sanctam Sedem causa ista tractaretur; & ab iis fuerit addita, qui ex prædictis verbis Cardinalis Toleti impugnantur. Quod etiam tunc fuit valde consideratum.*

Serry Tom. II.

(1) In 1. sent. Collat. 11. differ. 1. sect. 5. §. 1.